Ph. P.

1231 Vindiciae

Domus S.S. Adelhaidis: et
Caietani

April.

Philos. Morum. 1609.

R

VINDICIAE

PRO

P. EDUARDO CORSINO

Clerico Regulari Sholarum Piarum in Pisana
Academia Philosophiæ Professore

adversus

P. FRANCISC. HOFFMANNUM

e Societate Iesu

AA. LL. & Philosophiæ Doctorem, nec non Ethices
& Historiarum nuper, tum etiam Theologiæ Moralis
in Universitate Pragensi Professorem

adornatæ

occasione libelli, cui titulus

Fundamentum universæ Phisophiæ Moralis

ab

hoc postremo Pragæ typis Academicis

an. 1749. editi.

Auctore Anonymo.

— — — Fragili quærens illidere dentem
Offendet solido.

Horat. II. Sat. 1. v. 77.

Coloniæ
Apud Petrum Marteau
1751.

In omni volumine profectus magis quæritur lectionis, quam nomen auctoris. Et ideo ſi protectus eſt in lectione, & habet, quisquis ille eſt, quod poteſt inſtruere lecturos; quid ei cum vocabulo, quod juvare non poteſt curioſos? - Cum enim nullus profectus ſit in nomine: qui profectum in ſcriptis invenit, ſuperflue nomen ſcriptoris inquirit. *Salvian. epiſt. ad Salonium.*

Bayerische
Staatsbibliothek
München

INDEX CAPITUM.

Cap.		pag.
I.	*Scribendi has Vindicias occasio & causæ* -	1
II.	*De Adversariis, quos sibi Hoffmannus præstituit* - - - -	7
III.	*Hoffmanni in conviciando male dissimulata liberalitas & causæ.* -	15
IV.	*Peripatetica scribendi ratio Hoffmanni perstringitur.* - -	21
V.	*Pisani historiographi nomen Corsino quam recte tributum?* - -	25
VI.	*Circa actus metu gestos Corsini sententia, & in ea assequenda, supina Hoffmanni oscitantia.* - - -	33
VII.	*Corsini judicium de scientia media a cavillis Hoffmanni vindicatur.*	42
VIII.	*Illud ipsum judicium porro vindicatur, & Hoffmanni declamatoria levitas castigatur.* - - -	50
IX.	*Græcanica Hoffmanni eruditio, & reliqua huius commatis.* - -	60
X.	*De bonitate & malitia intrinseca quorumdam actuum, status controversiæ, & Corsini sententia.* - -	68
XI.	*Eadem Corsini sententia magis firmatur,*	74
XII.	*Eadem sententia porro stabilitur, quatenus hac in re Divinæ voluntatis interventum agnoscit.* - -	81
XIII.	*Iterum stabilitur, simulque ostenditur sine voluntate Dei impossibilem esse quamcumque moralem in quibuscumque artibus malitiam.* - -	88
XIV.	*Dicta priorum capitum blasphemia, & odio Dei accommodantur.*	97
XV.	*Dilemmati Hoffmanni respondetur*	104
XVI.	*De probabilismo, & inprimis de negata Prababilistis a Corsino virorum sapientissimorum &c. laude* -	113

Cap. pag.
XVII. *Quam recte probabiliſmum Theologiæ dedecus vocaverit Corſinus? oſtenditur.* 127
XVIII. *Idem aliis argumentis confirmatur.* 136
XIX. *Quam vere Corſinus probabiliſmum in æternam animorum perniciem invectum dixerit.* - - 145
XX. *Idem argumentum continuatur.* 156
XXI. *Quomodo laxæ illæ propoſitiones a SS. Pontificibus confixæ e probabiliſmi doctrina enatæ ſint, oſtenditur.* - 165
XXII. *Idem alia ratione, ac inſuper auctoritatibus confirmatur.* - 173
XXIII. *De Probabiliſtarum numero.* 186
XXIV. *De ignorantiis ab Hoffmanno Corſino affictis,* - - - 198
XXV. *De prima conditione ad opinionem vere probabilem juxta RR. requiſita, pietate nempe & doctrina Auctoris.* 206
XXVI. *Dicta prioris capitis Auctoribus recentioribus accommodantur.* 217
XXVII. *Ejusdem conditionis inutilitas reſpectu RR. Caſuiſtarum oſtenditur.* 228
XXVIII. *Generales quædam animadverſiones circa reliquas conditiones ad opinionem probabilem requiri ſolitas afferuntur.* 237
XXIX. *Quatuor priores conditiones opinionis probabilis ſingillatim examinantur.* 245
XXX. *Quinta & poſtremo opinionis probabilis conditio ad examen vocatur, quæ eſt ratio gravis.* - 255
XXXI. *Duobus Hoffmanni argumentis reſpondetur.* 266
Ultimum, *Tertio Hoffmanni argumento ſatisfit.*
Operis concluſio. - 275

Vin-

VINDICIÆ

pro

P. EDUARDO CORSINO.

CAPUT I.

Scribendi has Vindicias occasio, & causæ.

§. I.

Septemdecim, & quod excurrit anni sunt, ex quo quintus *Institutionum Philosophicarum* tomus Ethicen complectens, Clarissimi Viri Eduardi Corsini Scholarum Piarum, tum Florentiæ, postea Pisis Philosophiæ Professoris, primam lucem in solo natali aspexit. Inde usque iterum iterumque cum ceteris tomis typothetarum operam fatigavit Bononiæ ac Venetiis: neque tamen, quod sciam ullus repertus est, qui dente theonino circumrodendum opus autoremque ipsum hipponacteo quod aiunt præconio celebrandum sibi sumsisset: nisi quod personatus quispiam Lucius Sectanus, qui se Quinti filium dixit, in sermonibus suis *de tota Græculorum huius ætatis litteratura*, Genevæ, si fronti fides an. 1737. editis, faciendum id

ſibi putavit, inter cetera Serm. I. v. 89. ita Corſinum *ἀναγραμματικῶς* perſtringens:

— — Nec tot deliria libris
Adſueris Logicis, Phyſicis, reliquisque Noriſcus.

§. II. In hunc locum ſive idem ipſe, ſive alius quiſpiam, M. Philocardius dictus commentans, hæc enarravit: *Commemoratis Noriſci Logicis, Phyſicisque libris, non reliquisque heic, ſed Ethicisque dixiſſet profecto Lucius, niſi metro heroo ea vox repugnaret. Nam ſi usquam Noriſcus ineptit, ac plane delirat, id in Metaphyſicis ſuis libellis egregie facit. Quid? quod ex impudentia eſt, ut contumelioſiſſime Probabiliſtarum quos vocant ſectam, homo totius probabiliſticæ, probabilioriſticæque rationis ignarus, atque omnis humanitatis expers, conraſis undique maledictis invehatur? Cui ſcio mirum videri, ſibi non adhuc (id quod ille ut magnis inimicitiis clareſceret, unum ſpectabat) eſſe reſponſum. Sed mirari deſinat atque intelligat, id ex eo factum eſſe, quod Probabiliſtæ nondum in eo ſatis eſſe virium ſtatuunt, ut cum ipſis poſſit homo infantiſſimus decertare. Eum tamen ego etiam atque etiam moneo: deſinat maledicere, atque in poſterum tempus quieſcat. Ni fecerit: flebit & inſignis tota cantabitur urbe.* Ita Philocardius. Sed infi-

cetum hunc Scholiaſten, vna cum Poëta ſuo, non Corſino ſolum, ſed eruditiſſimis quibusque Florentiæ Viris obtrectantem, Ceſellius primum, mox alius item Poëta, adſcito M. Thymoleontis nomine, pro merito ſuo egregie caſtiga-

ſtigavit, & quod ſenex ille ſervo apud Comicum facere minabatur,

— — — Adeo exornatum dedit,
Adeo depexum, ut dum vivat, meminerit ſemper ſui.

Ita verum iterum comprobatum eſt vetus verbum in re nova: *Quique vult dicit, quæ non vult audiet*. Si quid poſtea evenerit, ignoro. Puto autem litem, cum ita ſecta eſt, compoſitam; nec quemquam deinceps Corſino feciſſe convicium. Saltem in Germania, qui genuino illum morderet, nullus quod ſciam exortus eſt; imo ut a Viris fide dignis ad me perlatum eſt, multus etiam operi eius honos habitus ab iis,

Queis meliore luto finxit præcordia Titan;

et qui, *quid æra lupinis diſtent*, norunt diſcernere.

§. III. Dum tu tandem Verende Pater, velut ex machina Deus exortus es, & in tua *de fundamento univerſæ Philoſophiæ Moralis* lucubratiuncula abhinc biennio fere edita, ad Corſinum, nonnullaque eius Ethices capita ſugillanda, animum appuliſti. An Sectano ſuccenturiatus? neſcio. In eadem certe uterque eſtis novi. Fortaſſe ſpes erat, negotium in Germania felicius, quam Italia proceſſurum, quod illic ad litterarium principatum graſſari, fere impune habeatur,

§. IV. Sed non deſunt ſui veritati etiam e longinquo vindices. Fortuito pœne libellus tuus in manus meas incidit; quamquam ſerius, ac oportebat. Non quaſi eorum unus ſit, *qui crebro reguſtari, aut legendo conteri*, quod de Cyri pædia aiebat Cicero, mereatur, ut ita gran-

dis iactura fuerit eo tam diu caruiſſe: ſed quod e veſtigio, ſimul atque prodiit in publicum, diſpungi dignus eſſet. Quare ſi nunc primum id fit, nolim perſuadeas tibi, tantum te eo negotium Corſino faceſſiviſſe, ut dum tibi reſponderetur, magna advocatione opus foret: ſed ita ſtatuas, nodo haud cognito quæri citius cuneum non potuiſſe. Etſi enim, ut quod res eſt fatear, *librorum bona copia* (quod etiam Horatii fuit) digniſſimum plane homine ingenuo ac liberali ſit votum; exigua tamen me ſemper tenuit cupiditas, tui iſtius ſimiles ſolliciticius conquirendi, aut in pluteis recondendi: non quod non majus iis pretium ſtatuam, quam olim Catullus *Voluſi*, aut Seneca *Tanaſii annalibus*, quamque aliis genio ſuo deſtitutis debetur, ut uſui ſint tum demum, ſi deferantur

— In vicum vendentem thus & odores,
Et piper, & quidquid chartis amicitur ineptis:

Sed quod plus ex aliis proficere, bonasque horas, *dum vita adeo brevis eſt, ars longa*, meliori uſura in aliorum lectione collocare me poſſe exiſtimem. Quo fit, ut hoc ipſo tuo porro etiam facili diſpendio caruiſſem; niſi fortuito pœne, ut dixi, manus meas ſubiiſſet, primumque omnium in eo *Piſani Philoſophiæ hiſtoriographi nomen* in oculos incurriſſet.

§. V. Senſi actutum, ad quem appellatio hæc ſpectaret, & ut pronum vel hinc erat coniicere, luſtrato ſubinde libello, re vera contumelioſum in Corſinum ſcriptum deprehendi. Quid facerem ingenuus *Philoſophicarum* illius *Inſtitutionum* venera-

nerator? Auctori id renuntiarem, ut ipſe ſe defenderet, & iniuriam illatam propulſaret? At locorum intervallum ingens, incerti nuntii, ut alia incommoda præteream, reſponſum in alterum biennium prolatura videbantur. Et ad hæc dubium erat, an Corſinus ipſe vellet tam obſcuro hoſti congredi, tamque ignavo ſanguine inquinari. Hectorem enim puto eſſe oportere, non gregarium aliquem militem; veteranum non ſubitum; paludatum, non caligatum; qui cum manus conſerere ipſe operæ pretium exiſtimaret.

§. VI. Hinc memor illius Horatiani 1. Ep. 18.

— Tua res agitur, paries cum proximus ardet,
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires:

alterius item Tulliani Phil. 6. *plerisque in rebus gerendis tarditatem & procraſtinationem odioſam eſſe*: nihil cunctandum ratus, rem per me ipſe aggredi conſtitui, non conductus ab ullo, ſed volo; non alienis, ſed meis ſtipendiis Corſino militaturus. Etſi enim plane, ut ille aiebat, *quemvis hoc mallem de iis, qui eſſent idonei, ſuſcipere, quam me: malebam tamen etiam me, quam neminem.* Inſanum hoc alieno nomini inſidias ſtruendi cacoëthes impune ferendum non eſt, ne ægro in corde ſeneſcat, & levius putetur, quia non arguitur. Si cui boni viri præſtanda eſt opera, ea certe par eſt, eruditis ne deſit, ut utilioribus curis diſtentorum, præſertim abſentium & ignorantium negotium geratur, eorumque fama (neque enim juri,

quod in eam habent, renunciant) contra momorum cavillationes in tuto collocetur. Hoc præcipuum ac pœne unicum in toto hoc defenſionis genere datum mihi puto negotium: tantum abeſt, ut libellum tuum a capite ad calcem excutiam, & quæ perperam a te illic dicta ſunt, ungui notem.

§. VII. Evenit vero id bono tuo. Alioqui ſi alter quiſpiam Corſino inſtituto & eruditione coniunctior cauſam hanc ingrederetur, crede acerbiores pœnas dares, &

— — Italo perfuſus aceto

documento eſſes aliis, quid ſit irritare crabrones; ipſe vero triſte experimentum caperes,

Irritata canis quod R quam plurima dicat.

At a me iſtiusmodi nihil tibi metuendum eſt. Eapropter nullos hic Ceſellii rhythmos, nullam Thymoleontis ſuſpicare Menippeam ſatyram; omnium vero minime

Tincta Lycambeo ſanguine tela.

Sed totum, quod præter Corſini defenſionem faxo, erit, ut clementi caſtigatione utar, & ne ex triumphi, quem de Corſino dudum fortaſſe animo tuo jam deſcripſiſti, inſolentia criſtas nimium erigas, aures tibi nonnihil vellicem, & Romanorum militum more, a tergo victori inſultantium, illud quod apud Tertull. Apol. c. 33. legitur, usque inclamem: *reſpice poſt te, hominem memento te!* Ita me effecturum confido, ut in te deſcendens, communi cum aliis lege, oſcitantiæ, ignorantiæ, effectibus obnoxium

xium te agnoſcas; pennas nido maiores deinceps ne extendas; in redarguendis aliis parcior ſis & cautior; aureolumque illud cuiuscumque demum: *ne quid nimis*, plane facias tuum. Per id tamen nullam mihi legem imponi velim, non quandoque etiam jocandi quidpiam, teque Plautino ſale leviter defricandi. Facetum etiam eſſe in re ſeria juvat, non idcirco ſolum, quod ut ait Tertull. adv. Valent. *congruat* quoque *veritati ridere, quia lætans; de æmulis ſuis ludere, quia ſecura eſt:* ſed etiam quia

— — — Ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res.

Hor. I. Sat. 10.

§. VIII. Lectores hoc magis mihi, quam tibi ſpero fore benevolos: quo æquiores ſunt defendentis quam laceſſentis partes. Hi ſi in quid durius incurrerint, exiſtiment reſponſum totum id, quidquid eſt, non dictum eſſe, & illud Comici Phorm. prol. cogitent:

Benefactis ſi certaſſet, audiſſet bene.

Caput II.

De Adverſariis, quos ſibi Hoffmannus præſtituit.

§. I.

Præfatus ego ſum; ordo poſtulat ut præfationem quoque tuam Reverende Pater nunc excutiam. Nam in ea jam quædam inferuiſſe mihi videris, quibus univerſæ in Corſinum

ſinum actioni veluti proluderes. Delibata quippe leviter materiæ, quam tractare conſtitueras, commendatione, redditaque qualiquali conſilii tui ratione, ſic tandem ad Adverſarios, quibuscum res tibi futura eſſet, tranſis: *Ad hæc auctorum quorumdam ſenſa & opiniones refello, nullo ad id inductus litigandi ſtudio, ſed uno veræ fidei tuendæ obſequio, & firmandæ veritatis amore.*

§. II. Bene habet R. Pater. Auctorum quorumcumque ſenſa & opiniones ſi quando ab iis diſſideres, refellere, modo valeant humeri, jus poteſtasque tibi ſemper fuit; neque eapropter litem tibi ullus intenderit. Eſt hæc venia, quam ſcriptores omnes in publicam emiſſuri quidpiam

— petimusque, damusque viciſſim.

Bene etiam habet, quod *nullo litigandi ſtudio, ſed uno veræ fidei tuendæ obſequio & firmandæ veritatis amore* id facere animum induxeris. Ita enim prorſus Ethices præſertim orthodoxæ Profeſſorem præfari oportebat: quod *litigandi ſtudium* in nullum minus, quamEthicum; *tuendæ* vero *fidei ardor* in neminem magis, quam orthodoxum conveniat. Sed non diſpicio, quantumcumque intendo aciem Reverende Pater, quodnam tantum fides, vel etiam ipſa veritas in tantillo hoc ſcripto tuo nacta ſit præſidium, ut eam cauſam neceſſe fuerit prætexere, & rerum grandium exſpectatione lectoris animum ſuſpendere? Nam quid, ſi

emun-

emunctæ naris quispiam tua hæc ſerio reputans ita ſecum commentetur attonitus:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

Poſtea vero collatis inter ſe omnibus nihil admodum eorum, quæ ſpoponderas, a te præſtitum deprehendat? an non tum alterum illud quoque eiusdem Poëtæ art. Poët. v. 140. mox animo eius ſubeat:

Parturiunt montes: naſcetur ridiculus mus?

§. III. Quid inquam, ſi quispiam his cogitationibus pulſetur, quonam pacto ei tu te de ignominia hac purgabis? Nam certe quantum ad fidem attinet, pervolutans ſemel ac denuo omnia, nuſpiam aliquid, quod in Adverſario tamquam fidei repugnans refelleres, atque ita dogma quodpiam fidei confirmares, reperire potui, quam §. tuo 51. ubi hanc Berolinenſis Compilatoris (hoc quippe nomine eum honeſtas) ſententiam: *Quoniam metu ſervili ductus voluntati numinis conformia agit ob metum pœnæ, a vera virtute eſt adhuc alienus*, duobus verbis *veræ fidei repugnare* ais, *ob damnatas* ſcilicet *geminas* ab Alexandro VIII. & Clemente XI. *propoſitiones.* Non enim induci poſſum, ut credam, ſuſpicione etiam aliqua circa fidem gravare te voluiſſe Corſinum in fine §. tui 39. dum *quid* quædam ab eo dicta *ſapiant*, *decidere te nolle* pronuntiaſti, remque omnem *pio prudentis lectoris judicio* remiſiſti. Sed vide, quam peſſime prior etiam ille conatus tuus tibi ceſſerit. Nam ut taceam, non

ſatis

ſatis prudentem te in eo exhibuiſſe, quod fidem adverſus hominem a ſacris Romanis alienum tuiturus, ſolam Romani Pontificis autoritatem, quam ille ceu exploratam non ſuſpicit, produxeris; neque etiam inter id, quod eſt *fidem tueri*, et id, quod eſt dumtaxat indicare, quid *fidei ſit*, diſcreveris: inſuper non video, quomodo ex geminarum illarum propoſitionum confixione efficere tu potueris, doctrinam iis contentam ipſi *fidei repugnare?* Intellige me Reverende Pater. Non affirmo ego, eam *non repugnare*. Sed illius tuæ illationis vim noſſe cupio. Scire oportebat, non continuo aliquid effici *fidei adverſum*, ſeu hæreticum ex eo præciſe, quod a ſummis Pontificibus ut proſcriptum. Ignorare etiam fidei defenſorem par non erat, propoſitiones tam ab Alexandro VIII, quam a Clemente XI confixas, *in globo* dumtaxat, *vage*, & *reſpective* ut loquuntur Theologi, eſſe damnatas; nulla expreſſione facta, quænam ex recitatis ibi cenſuris hanc illamve propoſitionem ſingillatim afficiat. Eapropter *decimamquintam propoſitionem* inter Alexandrinas, & *ſexageſimam ſecundam* inter Clementinas *veræ fidei repugnantes*, hoc eſt hæreticas tu adeo pronuntiare non poteras; ut potius mirari lubeat ſupinam tuam hac in re ignorantiam.

§. IV. Sed hæc leviora utcumque ferri poſſent præ eo, quod mox ſubiungam. Nempe laudatam ſupra Berolinenſis Compilatoris ſententiam *erroris contra fidem* poſtulas, *ob damnatas*

geminas

geminas illas ab Alexandro VIII. & Clemente XI. *propoſitiones*: tamquam ſi illa cum his eadem ſit, aut in iis perſpicue contineatur, atque ita eadem cenſura involvatur. Quo jambo, qua procella dignum non te hic præſtas Reverende Pater? Ut oſcitantia tua in propatulo ponatur, lubet propoſitiones illas totidem verbis hic recitare, quot in utriusque Pontificis decretis leguntur. Alexandrina ordine *decimaquinta* ſic habet: *Attritio quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.* Clementina vero inter Queſnellianas *ſexageſima ſecunda* ita: *Qui a malo non abſtinet, niſi timore poenæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram Deo.* Nemo non videt, quænam doctrina hic percellatur: eadem nempe quæ jam in Concilio Trident. Seſſ. 6. can. 8. & Seſſ 14. cap. 4. fuerat proſcripta, contendens, *metum gehennæ, ex quo vel de peccato admiſſo dolemus, vel a peccando abſtinemus, non ſolum non eſſe motum bonum ac ſupernaturalem, ſed etiam peccatum.* Idne vero laudata Compilatoris Berolinenſis propoſitio complectitur? Quis niſi madidus & mente motus id aſſeveret? Ea plus non ſtatuitur, quam ſic operantem *adhuc a vera virtute alienum eſſe*: quod certe longe aliud eſt, quam aſſerere *eum peccare*, aut hoc eius opus, vel motum *bonum non eſſe.* Alioqui ſi ita miſcere omnia lubeat, conſequetur, ſanctum Auguſtinum damnatam deinceps in Bajo ac

Que-

Queſnello doctrinam jam olim præformaſſe, dum Libr. 4. contra Jul. cap. 3. inficiatus eſt, *veram* in aliquo, niſi juſtus fuerit, dari *virtutem*, & poſtea aliquanto nedum *Catilinæ*, quod de homine tam facinoroſo mirum videri non debet; ſed ipſi etiam *Fabricio* Imperatori tam forti, quam ſobrio & continenti, *veræ virtutis*, *bonique viri* laudem abiudicavit. Jam acutis ingeniis Eccleſia & fides profecto non egent.

V. Equidem fieri poſſe non nego, ut huic ſuæ ſententiæ Compilator Berolinenſis illam ipſam a Concilio Trident. & ſummis Pontificibus notatam doctrinam ſubiecerit, atque ita propoſitio, ſi *ad mentem autoris* referatur, ſit hæretica. Verum quum dilucida rei hujus argumenta ob libri, quo careo, defectum mihi haud ſuppetant, decidere id ipſe nequeo; aliunde vero non ignoro, ſcopuloſas eſſe, multisque difficultatibus implicitas id genus facti dogmatici quæſtiones, quoties quis ſine ſufficientibus documentis earum judicium temere ſibi arrogat. Quodſi tu R. Pater ea de re ex æquo decernere volebas, luculentiora teſtimonia afferre debuiſſes, quæ lectoris aſſenſum non precario impetrarent, ſed omnino extorquerent. Ego ſi quid ſapio, probabilem autoris ſententiam ex iis ipſis verbis, quæ tu ſubinde exſcribis, elicere mihi videor. *Utendum eſt*, inquit, *metu ſervili, quamdiu filiali nondum potest eſſe locus.* Neque enim fas fuiſſet ita loqui eum, qui metum hunc vitioſum & inhoneſtum

ſtum credidiſſet. Ut ut ſit, ipſa rei ratio poſtulabat, ut quando te *Adverſariorum quorumdam ſenſa & opiniones non litigandi ſtudio, ſed veræ fidei tuendæ obſequio* confutaturum receperas, promiſſum hic loci ſaltem, ubi occaſio ſe obtulerat, exſolveres, diſtincteque ac perſpicue erroris manifeſti contra fidem adverſarium illum tuum convinceres. Quod cum nulla ex parte præſtiteris, ſatis profecto indicaſti, non alia de cauſa hunc conatum tuum te apud lectorem debuccinare voluiſſe, quam ut rationem aliquam honeſtam *litigandi* & conviciandi *ſtudio* (quod palam profiteri videbatur indecorum) obtenderes, ſerioque, ſine dolo malo eam rem actum iri alliis perſuaderes. Sed obrepſiſti R. Pater, peſſimum certe exemplum *tuendæ fidei & veritatis* tuis præbuiſti.

§. VI. Nam ut de fide nihil jam dicam, conviciis & maledictis Adverſarium traducere, creandæque ei invidiæ dumtaxat ſtudere, non eſt crede veritati patrocinari, ſed indicio tuo veluti ſoricem te prodere. Audiſti fortaſſe aliquando vetus illud: *Calumniator nil probat, criminatur omnia.* Periclitanti veritati ita demum digne ſuccurritur, ſi una etiam modeſtiæ ac æquitati litetur. Exeſſe proinde debet faſtus omnis, invidia, aliæque animorum perturbationes, maxime vero quæ paginam hic utramque facere ſolet, contradicendi, ſeque ſupra alios efferendi prurigo. Si ſecus fiat, non ſolum indubium malevolæ indolis ſpecimen editur; ſed ipſa etiam veritas, quantum-

vis

vis ſolicite quæſita, nobis elabitur. Ut enim præclare ſcripſit Salluſtius Catil. cap. 51. *Haud facile animus verum pervidet, ubi iſta officiunt:* multo minus vero, ubi ſecundum Comicum *animi decem in pectore incerti certant.*

§. VII. Quodſi mihi conſilii huius tui, quo Adverſarios quosdam præſtituere tibi viſum eſt, rationem afferre in medium liceat, fortaſſe non malus augur exiſtam, remque ipſa nihil aberrans, acu quod aiunt tangam. Juvenis es, ut omnia produnt, in Doctorum familiam haud ita dudum adſcitus. Ne inanis nominis umbram, aut palliolotenus ſolum ſuſtineres, fama etiam eruditionis apud alios captanda & paranda fuit. Hanc aucupanti nulla expeditior ſe offert via, quam ut typis aliquid edatur in publicum, illicque in alicuius celebritatis viros nominatim cenſoria virgula ſtringatur. Nam ubi quis ſe hos in aliquo reprehendere poſſe cognoverit, illico tollit cornua, gratulaturque ſibi, quaſi ingimo & eruditione antecellat iis, quos coarguit: quippe acutiorem hunc & doctiorem eſſe oportere, qui plus alio viderit aut ſciverit. Quodſi ad cenſuram etiam quædam ſtyli acerbitas, domeſticorum adulationes, cetera adiungantur, tum confectum creditur negotium, & depreſſis proceris arboribus humillima etiam quæque virgulta caput efferre videntur. *Pronis enim* æque noſtro hoc ævo, ac Taciti, Libr. 5. Annal. *obtrectatio & livor excipiuntur auribus;* neque minus labo-

laborioſa, ventoſæ plebis ſuffragia venandi, eſt ratio hodie quam olim,

Qualibet in quemvis opprobria fingere.

Hor. I. ep. 15.

Hinc velut comoedia tantos plauſus ſibi promeruit. Hinc immodica illa in homines etiam vix ſemi-doctos, magnis ingeniis obſtrependi libido emanavit; ferro quandoque & igni Caſtiganda. Hinc illæ in te lacrymæ.

CAPUT III.

Hoffmanni in conviciando male diſſimulata liberalitas, & cauſæ.

§. I.

Sed nimis fortaſſe operoſus fui in affiricando tibi, quod tu tantopere deprecaris, *litigandi* & conviciandi *ſtudio*, quum teipſum ingenue id confitentem jam habeamus. Sic enim præfari pergis: *Quodſi tamen extra conſuetudinem meam penna mea verba quæpiam aſperiora effunderet in chartam, ad ea me prorſus adactum fuiſſe aut opinionis contrariæ indignitate, aut exquiſitorum conviciorum inſolentia nemo non deſpiciet, qui æquo, nulloque præiudiciis animo occupato inter me, adverſariosque meos diſcernere voluerit* quid hoc eſt. Reverende Pater, niſi tecum pugnare, & quod Comicus ait, *altera manu ferre lapidem, altera panem oſtentare?* Si in revincendis Adverſariis ab omni rixandi & malidicendi ſpecie videri volebas alienus, hæc penitus te ommittere

tere oportebat. Ita enim calumniæ tuæ & convicia non ex compoſito inſerta, ſed tamquam aliud agenti incurioſe elapſa videri potuiſſent. Nunc quum ipſa præfatione id occupes, ſatis prodis, præmeditatum tibi id fuiſſe, præſertim ſi *nulla conſuetudine*, ut præfers, quæ ingratiis interdum nobis ſuppilat aliqua, ad id es delapſus. Nec eſt cur *adactionem* hic cauſeris.

§. II. Nam non puto Reverende Pater vim tibi aut pennæ tuæ ullam hac in re illatam, ut tibi idcirco, qui tantus involuntarii etiam ex metu hoſtis ſis, impunitatem apud lectorem poſſes polliceri. Volens, lubens, liberque a neceſſitate omni, nedum a coactione id egiſti. Utinam æque liber ab affectibus! quos tamen homo Ethicus in officio melius continere debebat, aut ſi naturæ aliquod hic vitium ſubeſt, exemplo Socratis emendare.

§. III. Verum quando hoc *adactionis* pallio tuam maledicendi pruriginem involvere tibi placuit, & idcirco etiam ad lectoris judicium provocare: agedum, & nobis expedi, quidnam illud ſit, quod te *adegit? Opinionis inquis contrariæ indignitas, & exquiſitorum conviciorum inſolentia.* Noli quæſo lectoribus credulis illudere R. Pater, nam ſagacibus palpum non obtrudes. Accede propius, & dic, quænam illa inter Corſini opiniones (nam Berolinenſem illum tuum Compilatorem hic jam non moror; neque enim hæc in eum congruere poſſunt, quem vix ullo aſperiore verbo, niſi

hoc

Compilatoris, læsisti, & præ Corsino mollissime tractasti) dic inquam, & edissere, quænam illa inter Corsini opiniones sit tam tetra, tam perdita, tam minime ferenda, ut ejus *indignitas* te homuncionem Transalpinum, a nemine appellatum, nullo litterario commercio aut lite cum homine Italo implicitum, adversus Corsinum excitare, atque ad maledicendum ei post tantum editæ ab eo Ethices intervallum adigere debuerit? An ergo ulla inter eas nova est heri in cerebro Corsini nata; & non potius omnes in scholis orthodoxis non toleratæ solum, sed magno assensu receptæ? Quomodo vero aliis, præsertim Italis, in quorum manibus liber frequens versatur, nihil istiusmodi ad hunc usque diem suboluit? quomodo Censorum & Inquisitorum oculos alioqui acutissimos ea res effugere potuit? Itane solus tu fuisti lynceus, ubi ceteri omnes cœcutirent? Aut ingens fortasse aliquod animus tuus excitatissimus præsagire tibi visus est Christianæ vel litterariæ reipublicæ periculum, nisi tu extra musæi & scholæ tuæ cancellos erupisses, & ad incidendos Corsino nervos, pugiunculum distrinxisses? Ni hic fucum agnoscat lector, vereor, ne omne animi lumen in eo sit exstinctum.

§. IV. At demus quod contendis, & aliquam ex Corsini opinionibus vitio quopiam urgeri fateamur. Quid tum? idne vero ad conviciandum impellere te debebat? Quin potius audientem te exhibuisti dicto Apostoli,

qui 2 Tim. II. v. 25. *cum modeſtia corripi* vult *eos, qui reſiſtunt veritati:* aut ipſi Corſino obſecutus es Tom. I. ſuarum *Inſtitutionum*, in generali ad lectorem præfatione deprecanti, ut *ſi quis aut partium ſtudio, aut diverſo Philoſophiæ genere, aut meliori denique & largiori fonte delectaretur, librum auctoremque ſuum valere ſineret?* nihil quidem idcirco aut pretii Inſtitutionibus, aut exiſtimationis Corſino periiſſet. Quodſi tamen gloriæ ſtimulus, ut quieſceres, non ſinebat, eaque ad famam graſſandi certiſſima videbatur via, ſi Corſinum tibi ſumeres refellendum: dixi iam, & iterum dico, licuiſſe id facere; ſed liberaliter ac ingenue; non aliis armis, quam rationibus; ſine petulantia, ſine mimica arte. Dux ille ethnicus ferula caſtigavit militem, qui hoſti maledixerat, quum ad pugnandum eſſet conductus. Quanto minus in litterariis præliis id ferendum, quæ hoc inſuper præſtare debent aliis, ut ſint incruenta. Hoc igitur præſidio penitus es deiectus.

§. V. Periclitemur nunc, quam tibi ſuffragetur alterum, quo meledicentiam tuam muniviſti, nempe *exquiſitorum conviciorum in adverſario inſolentia.* Hæc quidem quanta ſint, & quam vere id a te prætextum, poſtea viſuri ſumus. Nunc illud ſolum reponere iuverit, quod, ut ita eſſet, meminiſſe tamen te oportuiſſet illius, quod Auguſtinus Libr. 3. contra litr. Petil. cap. I. inquit: *Si quis pro maledictis maledicta reſpondeat, nil niſi duos effici maledicos*

dicos. Non alia nempe melior ratio esse potest levandæ infamiæ, quam *si moderatio nostra & gravitas aliorum infamet iniuriam.* Deinde civili Jure fas tibi fortasse fuit ex leg. 14. §. 6. ff. de bon. libert. remaledicere, & calumniam calumnia ulcisci; sed hactenus solum (ut passim hoc ius interpretantur Theologi) quoad intererat, & ad tuam qui calumniam passus esses, famam tuendam conducebat, neque alia te a molesto Adversario expediendi via dabatur. At tu R. Pater & contumeliam si quam passus esses, rationibus diluere poteras; & quatenus id non poteras, non video etiam, quid ad depellendam imaginariam iniuriam conferre id tibi potuerit, si, ut fecisti, Corsinum velut *æstro percitum, & sub ementito tuendæ pietatis schemate* nescio quid tegentem, de meliori scilicet, si superis placet nota, lectoribus commendares?

§. VI. Sed reducamus paulisper calculos, & quæ tibi antehac dedi, ad examen vocemus. Largitus tibi sum, licuisse certis legibus, probris Corsinum conscindere; sed veris non falsis; sed si tu prior iis ab illo fuisses lacessitus. Neque enim puto doctrinam ex divite illo probabilitatis fonte haustam tibi probatum iri, per quam olim licebat *falsum etiam crimen impingere ei, qui existimationem alterius violasset, si eius iactura aliter reparari nequiret.* Fuerunt hæc luxuriantium ingeniorum, & in monstruosos fœtus errare assveti *probabilismi* portenta:

nunc eis publicus ut minimum, altor deeſt. Sed age, numquid cautionibus his in præſenti cauſa aliquis fuit locus? numquid prior Corſinus conviciatus tibi eſt, aut tuum tuorumve nomen novæ cuipiam infamiæ ſubiecit? Si quid exagitavit quemquam, Ordinem certe tuum inclytum ne per latus quidem feriit; nedum te, quem nec de facie, nec de fama, eruditionis ſaltem novit. In opiniones quasdam, & ſi vis, etiam Auctores, dudum iam litterario orbi merito ſuo notos, invectus eſt: ſed impune; præeuntibus aliis; ſine iniuriandi animo: velleque hæc tamquam ad invidiam Societatis excogitata accipere, eſt illam ipſam harum opinionum ſuſpicione gravare. Fuerint vero eæ quibusdam e Societate Theologis propriæ; at fuere etiam aliis aliorum Ordinum, quin aſperſum iis hinc dedecus univerſæ familiæ fraudi foret. Nemo hæc adhuc in ſe transtulit; nemo idcirco Corſino conviciatus eſt. Solus tu præter larvatum illum tuum L. Sectanum inflictum ab eo tuis vulnus perſenſiſti, & tranquillum aliorum ſilentium tanto liberalius reſarciſti. At quam vere, quam recte? Sine quæſo, ut uberiorem rei huius tractationem eo, quo eam ordo deſtinat, remittam. Illic pariter, quod tu aves, *quiſque præiudiciis liber lector, quid inter te Corſimumque interſit*, haud difficile deprehendet.

CAP.

CAP. IV.

Peripatetica ſcribendi ratio Hoffmanni perſtringitur.

§. I.

Ne quid, de quo lectorem accuratiſſimus ſcriptor non præmoneret, ſupereſſet, ſi quis fortaſſe illotis manibus libellum tuum contrectaret; orationis etiam rationem reddere, & de ea ei te purgare voluiſti. *Scribendi*, inquis, *rationem quod attinet*, *Peripatetica utor*. *Si docendi* rationem dixiſſes, exiſtimaſſem inambulantem in Lyceo hæc te effutiiſſe. Sed quando *ſcribendi* ais, neſcio quid cum *Peripatetica* tua *ratione* tibi velis? *Cynicam* fortaſſe vocaſſes rectius: adeo ea tota ad caninam facundiam eſt compoſita, eiusque vis omnis in conviciando ſita. Non mirare R. Pater hic me ita ludere: tu me coëgiſti. Nec enim quid *Peripatetica ſcribendi ratio* ſit, aſſequor.

§. II. Homines qui Philoſophiæ prolegomena ſubtiliter perſequuntur, philoſophandi methodum duplicem diſtinguunt, *dogmaticam* unam, *Academicam* alteram. *Peripateticam* (niſi fortaſſe eam, quæ ut dixi in deambulando ſita ſit) nullam norunt; bene vero Sectam, Scholam, aut Philoſophiam *Peripateticam*. Quodſi *Peripateticam ſcribendi rationem* ad ſtylum orationis transferas, ea pariter duplex ſolum iis eſt cognita: *Scholaſtica*, quæ prænotata, concluſiones, probationes, objectiones, inſtan-

ſtantias diſtinguit; & *Oratoria*, quæ perpetua oratione, dictis partibus minime interciſa utitur. Id ex præfatione Corſmi diſcere poteras. Addi his fortaſſe queat & tertia *Geometrica*. Sed *Peripatetica* nulla apparet. Quidnam igitur tu ea deſignaſti? Scholaſticamne? Ad id tam abſonum eſt, quam ipſi Peripateticorum Principi Ariſtoteli, veteribusque eius diſcipulis ſcholaſticam ſcribendi methodum affingere. Ipſi enim perpetua oratione in ſcribendo uſi ſunt. Reſtat ergo, ut Peripateticam eamdem intellexeris, ac *barbaram*, de verbis eorumque ſtructura nihil admodum ſollicitam: id quod te animo deſignaſſe, ea que ſubiicis, innuere videntur. Verum etiam hoc iniuria. Nemo enim probatus ſcriptor hanc honorificam voci illi ſignificationem tribuit; nec univerſim in Peripateticos etiam recentiores id ſatis congruit: ut proinde *babaram ſcribendi rationem*, *Peripateticam* vocare, toti ſcholæ Peripatetieæ ſit probroſum. Si Peripateticum recte nitideque latine ſcribere tibi videtur inſolens, lege vel unius Gaudini, ut alios taceam, philoſophicum opus: ubi & ſcholaſticam methodum, & doctrinam Peripateticam, & nihilo minus orationem elegantem deprehendas.

§. III. Tu tamen his veſtigiis minime te inſtiturum palam lectori denuntias. *Et quemadmodum*, inquis, *nihil ſollicitor de verborum ornatu &c.* Belle, pulchre! nempe ibi crucem Priſciano figere oportebat, ubi ſermonis ſtribligi-

bliginem excusabas, ne alia lector liberatæ abs te fidei desiderare posset exempla. Atqui *nihil sollicitus sum de verborum ornatu*, non vero *sollicitor* scribere oportebat. Quamquam non satis sincera et integra videtur mihi fuisse hæc ipsa tua confessio. De verborum enim *ornatu* negabas te fore sollicitum; quum nec an verba vel oratio tua *latina* esset, quidquam pensi habueris, barbarismos passim eructans & soloecismos. Elegantiis, calamistris, pigmentis, totoque illo Grammaticorum & Rhetorum apparatu abstinere Philosophus poteras impune; quin idcirco soloece & barbare scriberes, legentibusque risum moveres. Aliud enim est, ut tota Grammaticorum natio novit, *emendatè*, aliud *ornate* scribere. Hoc postremum ut nemo in Philosopho requirat: ita illud multi, iure fortasse exigant; *non quod emendate & latine loqui* aut scribere *valde* glorioſum sit, ut ait alicubi Tullius, *sed quod inquinato sermone uti sit ridendum*. Quodsi neque hoc præstare sedebat animo, dicam quidem tibi ego ideirco non eram scripturus: sed dum ornatus inopiam excusare placuit, sermonis stribliginem dissimulare non oportebat.

§. IV. At hic tu me interpellabis, idque abs te factum contendes iis verbis, quibus te *non ambigere*, significasti, *terminos in scholis usitatos longa firmatos auctoritate, & ad succincte ac dilucide explicandum conceptum nostrum idoneos, libere adhibere*. Non, asseveris mentem meam R. Pater. Non sum

tam faſtidioſus & delicatus, qui ad quodvis verbum novum aut peregrinum velut ad Gorgonem viſam exhorream. Scio cum multis rebus multa nata eſſe etiam poſt auream illam & argenteam Latii ætatem vocabula. Scio ſuas diſciplinæ pæne cuique & arti voces eſſe proprias, quas *technicas* appellant. Scio etiam alias minime quidem latinas, ſed diuturno uſu a ſcholaſticis civitate jam donatas, quod ſignificantiores ſint, & ſive ad abſtruſas intellectiones exprimendas, ſive ad multa paucis complectenda perquam idoneæ. Ab his ſtylum ut cohibeant Philoſophi, tuque cohibueris, non ſum is, qui poſtulare ſuſtineam. Non abſtineo iis ego; non abſtinuit Gaudinus, non alii, non Corſinus ipſe: quin id calamitati eis fuerit, ne *emendate latine* ſcripſiſſe dicerentur. Quod multi a Philoſopho etiam flagitant, illud eſt, ut voces eiusmodi ſecundum linguæ latinæ regulas ſaltem conſtruat, & ubi bene latinæ ſuppetunt, barbaris, quæ *ad ſuccincte ac dilucide explicandum conceptum noſtrum* ne γρὺ quidem conferunt, ſermonem ne infuſcet. Quod quidem ſi umquam, profecto hoc ſæculo, in tanta litterarum etiam humaniorum luce; ſi ab ullo, tum certe ab homine, qui inter AA. LL. Doctores nomen ſuum profiteatur, & Grammaticen ipſe docuerit, iure exigendum videtur. Videſis vero Reverende Pater? quid tibi lector *ſuccinctæ ac dilucidæ* orationis nomine debeat, ſi is in tua præfatione (ut obiter tantum notem aliqua) *prærequiro*, pro requiro, *ſollicitor* pro

ſum

ſum ſollicitus repoſitum; & hanc *Φρόσιν æqui bonique conſulo* cum tertio potius quam quarto caſu conſtructam legat? Sed dixi, dicam me tibi idcirco ſcripturum haud fuiſſe, & carere tota hac animadverſione poteras; niſi ſub tam ſpecioſo excuſationis colore Corſinum, cui *Inſtitutiones* ſuas eleganter latine ſcribere inter alia curæ fuit, ceu *neotericum* perſtringere, ac vellicare decreviſſes. Alioqui quid neceſſe erat in tam preſſa pagellarum aliquot lucubratiuncula de *ſcribendi ratione*, de *verborum ornatu* præfari, & contra Grammaticorum inſultus tam ſollicite ſe munire? Verebaris fortaſſe, ne ſi libellus tuus eiusmodi lectorem nactus eſſet, qui omnia ex ſtylo penderet, poſtputaveris præ Corſino, hincque apud occupatum grammatice animum minorem tua convicia fidem invenirent. Sed miſſum te jam una cum ſtylo tuo facio, & propius ad rem accedo.

CAPUT V.

Piſani hiſtoriographi nomen Corſino quam recte tributum?

§. I.

Quatuor admodum capita ſunt, de quibus vocato in ius Corſino litem moviſti. De *actibus metu factis* primum; *de ſcientia media* alterum; tertium *de bonitate & malitia quibusdam actibus intrinſecus inhærente*; ac denique *de minus probabilis opinionis uſu* poſtremum.

§. II. Aditum ad cauſam univerſam §. 29. hiſce tibi paras: *Diſſentit a nobis Piſanus Philoſophiæ hiſtoriographus, hoc nomine dignus, quod ſententias tum novas tum veteres conquiſierit ſedulo, plurimasque illarum retulerit fideliter.* Ita nempe a contumelioſa appellatione Corſini orditi decebat, ut præguſtum haberes lector acerbiorum, quæ ſequerentur. Primas hic iactaſti haſtas: ne dignum quidem Corſinum exiſtimans, quem proprio nomine nuncupares. Corſinum *Corſinum*, uti ficum *ficum*, ligonem *ligonem* homo apertus & ſimplex vocaſſet. Tibi rude id nimis ac inficetum videbatur; aliud ſubſtituere maluiſti. At quam ob rem? an ut ita vulgi notitiæ ſubduceres, quem tot conviciis eras oneraturus, minusque famoſum faceres? Amo te de candida iſta tua indole, ſi quidem mera hæc non eſt impoſtura: ſed prudentiam requiro. Nam quid, ſi lector opuſculum tuum verſans in *Piſani hiſtoriographi* nomen forte incidat, huncque ipſum faſtui tuo ſubinde tanto eſſe ludibrio deprehendat; credis non ei continuo cupidinem inceſſurum, ut quis ſub eo nomine lateat, reſciſcat? Ut nullius myſterii cognoſcendi vulgus eſt avidius; ita nullum facilius emanat, quam quod dentatis chartis conditur. Inanis proinde fuit tua hæc tam ſollicita, tamque pia, ſi Superis placet, cautio.

§. III. At hæc ſi proprium Corſini nomen vulgare prohibebat religio, quid erat, cur communi illo *Philoſophi*, quod in fronte eius operum

operum ubique adſcriptum legas, eum fraudares? Non id certe cum tuo collatum, qui etiam *Philoſophiæ Doctor* audias, nimium ſublime poteras videri, aut ad exiſtimationem tuam offuſcandam idoneum. Sed quum tu ſolus tibi videreris ſapere, uti Berolinenſem Philoſophiæ Profeſſorem merum *Compilatorem*, ita & Corſinum nil plus quam *Hiſtoriographum* præ te Philoſophorum Alpha effici oportebat. Scilicet, ſcilicet! tu in legione, ceteri in culina.

§. IV. Atqui ægre quis iſthæc legens riſum contineat, ſi deinde *hiſtoriographo* actionem *de metu geſtis*, *de ſcientia media*, *de opinione probabili* abs te intendi videat; ſucclamabitque continuo, tam *hiſtoriographo* cum his convenire, quam cani quod aiunt cum balneo, aut graculo cum fidibus. Hæc te certe animo proſpicere, ac præcipere oportebat. Sed fruſtra omnia. Satis erat *hiſtoriographi Piſani* nomen, etſi nihil ad verſum, ad contumeliam faciendam tibi viſum idoneum. Et tamen, crede mihi, nuſpiam fortaſſe magis, quam hic es deceptus. Quodſi verborum vim, & pretia rerum teneo, *Piſanum* vocari & eſſe, quantum ad bonarum artium & ſapientiæ laudem attinet, ſin illuſtrius, profecto æque illuſtre eſt, ac *Pragenum*. Piſana Academia non cœnoſa aliqua triobolarium litteratorum eſt latrina, ſed egregium Muſarum emporium, vera *Cariath-Sepher*, civitas litterarum. Qui eam ornant Viri, non fucate, ſed reapſe ſunt doctiſſimi. Eorum poſtremus

ſtremus, quod de Crotoniatis aiebat Strabo, reliquorum eſſe queat primus. Tu certe cum iis comparatus, ſimile quid ſis, quod felis ad Minervam, quibus nihil præterea eſt commune, quam quod utraque ſit γλαυκῶπις. Non iraſcantur quæſo hic mihi ceteri Academiæ Pragenſis Profeſſores, multis alioqui nominibus verendi & colendi, ſi durius non nihil eorum gregalem accipio. Non eos objurgo; neque enim ipſi Corſinum læſerant. Nec comparationem inter utriusque Academiæ Viros ullam inſtituo: quamvis non ignorem, quid de quibusdam Germaniæ Univerſitatibus nonnulli alias queſti ſint, & litteris mandarint. Pœnas, quamquam infra meritum, ab eo dumtaxat reſpoſco, qui meruit: alios intactos omnino abire volo. Neque enim exiſtimo omnes invicem ita eſſe commiſſos, quemadmodum *lebetes* illo *æneo* in Dodonæo Jovis templo erant; ut vel uno quopiam pulſato, omnes reſonarent. *Sibi quisque ut ſementem fecerit, ita & metet. Aliis iſthic nec ſeritur, nec metitur.*

§. VI. Quod de *Piſani* nomine dictum, idem & de altero *hiſtoriographi* exiſtimandum. Qui eo vere digni ſunt, in *hortis* profecto, ut ſua *Ægyptiis numina* non naſcuntur; nec *una nocte* ut fungi; ſed nec *triduo*, uti alicubi ſolent, & ætate Menagii Aureliæ mos erat, Doctores. Rex prorſus admiranda & præclara, munus *hiſtorici* cum dignitate ſuſtinere. Neque tu id inficiari potes, qui ad alios honoris titulos, hunc

hunc etiam *hiſtoriarum Profeſſoris* tibi in fronte libelli adiungere non dubitaris. Quamquam ne tuo iumento tibi malum videreris accerſere, ſubtili diſtinctione, non *hiſtoricum*, ſed *hiſtoriographum*, cum addito *Philoſophiæ*, Corſinum vocare malueris. Hoc nempe probroſum putabas: ſed iterum male! Qui hoc nomine gloriari vult (ex tua ſententia illud accipio; quam apte id fiat, non diſputo) non ſolum ſapientiæ ſacris initiatus ſit oportet, ſed in ejus ſtudio inſigniter verſatus; non unius ſolum ſectæ placita calleat, neceſſe eſt; ſed penitus teneat omnes, atque in ipſa etiam Pythagoricorum, Platonicorum, Stoicorum, Epicureorum &c. adyta penetrarit. Ad quod pro eo, ac debet præſtandum, ſi perſpicaci ingenio, iudicio acri, eruditione pœne immenſa opus eſſe tibi non videtur; neſcio quid de eo pronuntiaturus ſis, qui unius ſolum Sectæ dogmatis mediocriter imbutus, alias vix leviter deguſtat, & cum temerarius eo ſe infert, titubat, ruit, peccatque ſæpiſſime.

§. VII. Quidquid ea de re ſit, graviſſimorum quorumque virorum dudum iſtud, non iniquum fortaſſe fuit votum: ut quando veritas in profundo adeo demerſa ſit, puteoque plane, quod olim Democritus querebatur abſtruſa; Philoſophia univerſa, exceptis paucis minime dubiis, *hiſtorice* traderetur, non intra unius Sectæ anguſtias conſtricta, ſed per omnes diffuſa, omnium opiniones celebriores complexa, ex quibus optio eſſet cuique, quam veller,

vellet, & quam propius ad verum accedere videret, amplectendi. Ac hoc facto quidem, si res ad arbitrium tuum conferretur, meros haberemus *Philosophiæ historiographos*, Philosophos nullos. Sed parum interesset, quod illis cognomen fieret: & si prius illud, meliori jure fortasse, id sibi hinc usurparent; maius certe operæ pretium facturi essent, quam si rebus inanibus sequipedalia *Quæstionum Critico-Antiquario-Chronologico-Etymologico-Genealogico-Historico-Politicarum adstruentes nomina*, nugis pondus addere conarentur, & an v. g. *J. Cæsar primus erectæ a se monarchiæ salutandus sit Imperator; ab augeone, an ab augurio vel auctu Augustus dictus sit; num nativa Claudius ineptia laborarit; ecquid Vespasianum, avarita, an ærarii amissi recuperandi studium ad pudendum ex lotio lucrum quærendum impulerit?* operose (quod tu in *annexis fundamento* tuo *assertionibus* facis) inquirerent, & nullo proprio adhibito iudicio, ut quidvis exscribendum se obtulerit, miserabiles critici definirent.

§. VIII. Sed iam causa dispicienda est, quæ tuo conviciandi studio servire debuit, ne alia quam *Philosophiæ historiographi* appellatione Corsinum dignareris. Audivimus supra hanc te obtendisse: *quod sententias tum novas, tum veteres conquisierit sedulo, plurimasque illarum retulerit fideliter.* Tenemus iam quid ex tua sententia sit *historiographum Philosophiæ* agere: alioqui Oedipo opus fuisset, ad vim cognominis

minis huius eruendam. Nempe qui singularum Philosophicarum Sectarum placita *conquirit & refert, Philosophiæ* est *historiographus*. Assurgamus tam accuratæ definitioni. At num id in Corsinum plane congruit? num idcirco nil plus quam *Philosophiæ historiographum* eum vocari decuit? Nihil is ergo in *Institutionibus* suis *Philosophicis* præstitit aliud, quam *quod novas & veteres Philosophorum sententias conquisierit sedulo, plurimasque illarum retulerit fideliter?* nuspiam iudicium suum ipse adhibuit? Lolio profecto tota vita te victitasse oporteat, si id ais. Etsi enim Corsinus *Academicorum* disciplina multum se delectari haud dissimulet, tamen iam in ipsa generali præfatione n. 45. inter *Eclecticos* nomen edit suum, illudque Lactantii Libr. I. Inst. cap. 1. in sese transfert: *Ut non modo quid sibi probaretur, sed etiam quid a singulis Philosophiæ disciplinis diceretur, persequatur:* qui certe philosophandi modus licet *Sectarius* non sit; est tamen *dogmaticus* ab altero illo *historico*, quem tu designas, longe remotus. Quodsi Philosophus ille ultra, quam ad historiographi dignitatem non assurgit, qui novas hypotheses aut systemata non procudit, sed ab aliis dumtaxat excogitatas refert, & habito delectu amplectitur: vide ne tu nullo quoque iure R. Pater *Ethices Professoris* nomen tibi arrogaris, neve alterum illud *historiographi Ethices* sumere debueris; in cuius libello etsi aliunde breviculo, tam pauca tamen sint, quorum inventorum gloria in te redundet: ut si quisque

quod

quod ſuum eſt repetat, Æſopica cornicula longe præ Corſino manſurus ſis

— — furtivis nudata coloribus.

Quanto rectius, ſi ea appellatio adeo tibi placebat, *hiſtoriographi* nomine Corſinum honeſtaſſes ob *faſtos* illos, quos edidit *Atticos*, *Diſſertationes* item *Agoniſticas*, de quibus facile certior a librariis reddi potuiſſes.

§. IX. Sed multo liberalius tecum agere conſtitui. Do tibi ſcilicet, Corſinum ob ipſas etiam Inſtitutiones Philoſophicas non aliud, quam *hiſtoriographi Philoſophiæ* nomen commeruiſſe, nilque aliud in iis, quam *hiſtoricum* ſe præſtitiſſe, *novas & veteres ſententias conquirendo ſedulo*, *plurimasque illarum referendo fideliter*: quid tum poſtea? an non pervides in tuummet caput recidere etiam hoc telum? Nam ſi ita eſt, quid erat, cur in eum tu calamum ſtringeres, illum vexares, illius *convicia*, *criminationes*, *opinionum indignitatem* accuſares? quin magis in opinionum illarum & conviciorum ſi qua ſunt, quæque ille *fide* dumtaxat *hiſtorica*, ſi tibi credi vis, retulit, auctores es invectus? Parne ratio eſt retuliſſe quidpiam, & feciſſe? Reus non peragitur eorum criminum *hiſtoricus*, quæ in illorum vitis commemorat, quorum texit hiſtoriam: & iniuriarum actione tenebitur Corſinus, quod quædam aſperius dicta, quibus ſummi quique Viri opiniones nonnullas multo ante non immerito perſtrinxerunt, *Inſtitutionibus* ſuis pro *hiſtorici* munere inſeruerit? Verte

te

te in omnem partem R. Pater; nullum exitum invenies. *Hac urget lupus, hac canis.*

§. X. Nolo hic vulgare cauſam, ob quam tu in Corſinum potius, quam in alios, ex quibus ille dictorum ab ſe exempla petiit, adeo infeſtis ſignis inferri malueris, & quod putidius eſt, intra ipſos etiam ſcholæ parietes declamaris. Vulgarem autem, niſi prudentiæ leges, quæ te Ethices Profeſſorem, immodicamque linguam tuam cohibuere haud potuerunt, mihi ſilentium imperarent. Nihil ita occultum eſt, quod non retegat dies. Sunt nunc homines, qui explorant & expiſcantur omnia.

— — — — Sciunt
Id quod in aurem rex reginæ dixerit:
Sciunt quod Iuno fabulata eſt cum Iove.

Plaut. Trin. 1. 2,

Invidia profecto præcipuas hic partes egit, *tabificum malis venenum;* ſed propria hominum aliena laude dolentium, eorumque, qui *Sola ſua legunt, ſua amant. Cic. de Nat. Deor. 2.*

CAPUT VI.

Circa actus metu geſtos Corſini ſententia, & in ea aſſequenda, ſupini Hoffmanni oſcitantia.

§. I.

Succedunt tandem dogmata ipſa, tamquam principalis actio, cum priora illa mera fo-

rent proludia. Primum ut iam innui verſatur circa *actus metu factos*. Hos quod Corſinus, *ſi ad vitæ ſocietatem atque officia pertinent*, negaverit, ut tu quidem ſuſpicaris eſſe voluntarios; male eum verbis accipis, ac veluti ſuo ſe gladio ignarus confoderit traducis. At unde tam pronum tibi erat hanc mentis eius ſententiam elicere interpres præclariſſime? Provocas ad Tom. 5. Inſt. Philoſ. diſp. 2. c. 3. n. 12. Videamus, quam recte tibi ſedeat iſta confidentia. Verba Corſini (quando tu ea tam indiligenter exſcripſiſti) ſic habent: *Secus vero de humanis legibus, atque externis actibus, qui ad vitæ Societatem & officia pertinent, cenſeri debet. In iis enim ſi metus non quicunque, vel levis, & vani hominis, ſed qui merito in hominem conſtantiſſimum cadat, ſive metus majoris mali, ut Labeo interpretatur, interceſſerit, actus ille veluti involuntarius, nullus & irritus cenſeri ſolet, ideoque a ſervanda lege vel ab obligatione liber & immunis exiſtimatur.* Hoc nempe ſi tibi credimus, eſt omnem voluntarii rationem eiusmodi actibus adimere. At niſi ſupinam tuam hac in re oſcitantiam tibi hic demonſtro, in toto, quod his Vindiciis perſequor, befenſionis genere, cauſa me cadere oporteat. Videor mihi ad vivum expreſſam vitiligatorum indolem in te intueri. Hi enim, eum in adverſario dedita opera quærant, quod criminentur: errores ac lapſus edunt, non quos adverſarius admiſerit, ſed quos eorum livor inſcite ſomniavit.

§. II.

§. II. Age vero R. Pater, idne illic Corsinus asserit, quod tu ei affingis? id ex laudatis eius verbis tu legitima consecutione efficis? ita plane, ut si quis aquam ex pumice se putet expressisse. Atqui ut te revincam, non mihi ad Ethicen, vel scholas Theologicas, sed ad ipsum trivialem Grammatices ludum, AA. LL. Doctor es deducendus, illicque linguam latinam edocendus. Si renuis, vel ex ferrea fronte ruborem excutiam. Nonne pudenda res est, obvium verborum sensum, qui cuicumque vel mediocriter latine docto se offert, non assequi, & ima summis turbare? Ergo in lingua tua Philosophica idem prorsus tibi est, aliquid *veluti involuntarium censeri solere, ac involuntarium* omnino *esse?* idem alterutrum adstruere? Non multis te urgebo exemplis. Sed si quis absentem reum contumacem, vel absentem reipublicæ causa, *veluti præsentes censeri solere* dicat, isne continuo tales reapse absentes esse negare erit existimandus? prorsus ex idiomatis tui regulis, frustraque is Baldi, Bartoli, omniumque ICtorum tribunal appellabit. An hoc non est in media luce sibi oculos eruere, & data opera cœcutire? Tot in Corsini sententia occurrunt notiæ, ex quibus vocis huius *involuntarius* vim ac significationem diminutam ac constrictam ab eo, in re de qua agitur constet, nempe *veluti*, *censeri*, *solere;* ut luculentius id ab eo exprimi potuisse non videatur.

Verum hæc ludus tibi, ſuſque omnia deque fuerunt:
Suſque & deque fuere inquam omnia jocuſque.
Lucil.

Doctrinam, quam Corſino adoptare, ſuamque facere numquam in mentem venerat, per ſummam inſcitiam eidem obtruſiſti, & ingenii tui didaſcalici ſpecimen prorſus egregium hic nobis exhibuſti.

§. III. Nec hoc contentus, machinas etiam ad diſiiciendas munitiones, in quas Corſinus numquam ſe recepiſſet, admoviſti, inſeſſis omnibus viis, ne elabatur. *Contra eumdem*, inquis, *eſt primo*, *contra eſt ſecundo*, *contra eſt tertio.* At tu toties plane ineptis. Nam quid tandem ſodes contra eum eſt? non eam petunt, quas jacis ampullæ. Si quid contra eum afferre volebas, debebas oſtendere, eiusmodi actus *non ſolere cenſeri veluti involuntarios:* at tu alio prorſus deflectens demonſtrandum tibi ſumis, eos *non eſſe voluntarios*, quod Corſinus nuſpiam aſſeruerat. Hoc eſt cum umbris luctari, & *laborare*, ut in ſimili aiebat Auguſtinus, *non ut* Corſinum *intelligas*, *quod facillime poteras; ſed ut refellas*, *quod non poteras.* Quocirca jure Corſinus illud eiusdem Auguſtini in te transmoveat, quod is olim Juliano, diſputatori tui non abſimili regeſſit Libr. 3. cap. 7. *Fingis me dicere*, *quod non dico*, *concludere ſicut non concludo*, *concedere quod non concedo: & concludis tibi ipſe*, *quod renuo.*

§. IV. Quod si R. Pater illa Corsini oratio obscurior tibi videbatur, quam ut eam probe posses intelligere, pronum erat mentem eius assequi ex verbis, quæ præmiserat. Sensu profecto communi destitui oportuisset Corsinum, si, qui paulo ante data opera id egerat, ut *metum, quicumque ille sit, libertatem omnem non adimere, neque involuntarium actum efficere*, ostenderet; apertissimeque, non dissimulanter, *actum eiusmodi simpliciter, efficaciter, absolute voluntarium vocari, secundum quid vero & inefficaciter involuntarium*, edixerat; ad hæc id ipsum auctoritate Aristotelis confirmarat; interiecto deinde haud magno spatio sui oblitus, omnem voluntarii rationem a talibus actibus abstuliisset. Atqui non ita Corsinus defipit, ut ei Anticyras sit navigandum, elleboroque vitium capitis levandum.

§. V. Sed hic tu ex me requires, quam ob rem Corsinus *actus ad societatem vitæ & officia pertinentes* ab aliis, *qui ex divina æternaque lege oriuntur* secreverit, aliterque de his, quam de iis loquendum præcisis verbis asseruerit ibi; *Secus vero de humanis legibus, atque externis actibus, qui ad vitæ societatem & officia pertinent, censeri debet.* Quid, inquies, distinctione hac opus erat, si ii æque ac priores non obstante metu, quo interdum fiunt, sint voluntarii? Video R. Pater id ipsum esse, quod in fraudem te deduxerit incogitantem & incautum; sed venia idcirco minime dignum. Nam hominem qui nullius coactu aut impulsu,

ſed ſuapte ſponte in cenſoris munus involat, maiori accuratione diſpicere omnia par eſt, mentemque autoris non ex paucis voculis ab aliis reciſis, ſed ex toto verborum contextu, collatis præſertim antecedentibus & conſequentibus, & ſcopo ante omnia inſpecto, in quem is collimat æſtimare. Patere ut ſuppetias ipſe hic tibi feram, quo te iis laqueis, quibus per imprudentiam tuam te intricaſti, expedias.

§. VI. Itaque cum Corſinus loco ſupra laudato num. 12. *actus ad ſocietatem vitæ & officia pertinentes* ab aliis diſtinxit, propoſitum ei non erat, porro examinare, voluntarii an involuntarii ſint actus metu geſti? id quippe ſatis ſuperque cum num. 11. tum initio n. 12. præſtiterat, & univerſim voluntarios eſſe pronuntiarat: ſed dumtaxat a cuiusnam legis obligatione vel transgreſſione metus gravis hominem immunem reddat, definire. Id ut efficeret, inter malum quod per metum intentaretur, quodque per violationem legis incurreretur, diſtinguendum eſſe edixit: & ſi quidem hoc gravius illo eſſet, *uti peccatum, Dei iniuria, mors æterna* indubie graviora ſunt quocumque malo temporario aut corporali, nemini fas eſſe contendit, metu levioris huiusmodi mali, quidpiam admittere, quod ei illa graviora certiſſime eſſet acciturum. Cumque, ut alias oſtenderat, *æterna legis* ea vis ſit, ut illius transgreſſionem neceſſario mala illa omnia multo graviſſima conſequantur; hinc loco hoc recte intulit,

tulit, *nullo metu, nec ullo doloris, & mortis etiam timore inflecti humanam voluntatem debere, ut divinam æternamque legem violet, nec* si violet *excusari* a reatu *posse:* eo quod semper voluntarie, libereque id admisisse existimanda erit, hoc ipso, quod contra rationis ordinem maius malum præ minore eligendum sibi putarit.

§. VII. His ita constitutis *ad humanas leges & actus externos, qui ad vitæ societatem & officia pertinent* Corsinus transit, & *secus de his censendum* pronuntiat. Nempe quantum ad leges humanas attinet, earum vim & obligationem incurrente gravi metu cessare, metumque passum ab ea servanda immunem tunc existere; nec actum talibus legibus prohibitum, si metu fiat, censeri legis transgressionem, sed *veluti involuntarium* respectu metum passi haberi, & invidiam omnem culpamque in eam, qui metum iniuste intulit, devolvi: ac denique si ex tali actu obligatio quæpiam alias enascatur, metum passum ea pariter non obstringi, actumque istiusmodi respectu inducendæ obligationis, efficacis ad minus, *veluti nullum & irritum censeri.* Hæc planissima est Corsini sententia, eademque verissima, si generatim loquamur. Nam quandoque etiam humanas leges ita rigidam obligationem inducere, ut ne per intentatam quidem mortem infringere eas liceat, æque verum est: sed tum solum, ubi malum quod ex earum transgressione consequitur, aut consecuturum timetur præ-

ponderaverit, maiusque fuerit eo, quod metu intentatur. Quamqnam in eo casu, si exacte loqui velimus, obligatio servandæ humanæ legis, & subeundæ potius mortis non ex humana lege præcise, sed ex alia superiore, naturali scilicet & æterna oritur, quæ minori malo defungi potius jubet, quam in maius ruere, aut alios præcipites dare.

§. VIII. Quæ cum ita sint, nemo non videt, sponte sua evanescere, ac in fumos abire, Corsino prorsus incolumi, tua illa, quæ triplici veluti insultu facto adversus eum expedis rationum momenta; sponsorque tibi sum, Corsinum haud gravate omnia, falso solum, ut vocant suppositio excepto, admissurum. Unde non est porro, cur ego his immorari velim.

§. IX. Duo tamen, quo oscitantia tua manifestior fiat, dissimulare nec possum, nec debeo. Primum est, quod exemplum a Corsino loc. cit. n. 11. adductum de eo, *qui metu mortis prædoni largitur pecuniam*, minime tu *actibus ad vitæ societatem & officia pertinentibus* annumerandum esse existimaveris, sed ab eo veluti a pari ad actus istiusmodi (inter quos tutelam, & testamentorum subscriptionem reponis) argumentatus sis. Perperam plane. Non minus enim *donatio*, *numeratio pecuniæ*, vel quocumque demum nomine eam elargitionem appelles, *ad vitæ societatem & officia pertinet*, quam *tutela*, vel *subscriptio testamenti*:

ut

ut vel hinc, ſi voluiſſet, potuiſſes perſpicere Corſinum plane non refugiſſe, actus ad vitæ ſocietatem & officia pertinentes, ſi metu fiant, voluntarios agnoſcere, qui actus eiusmodi exemplo uſus, faſſus ſit, metum paſſum, pecuniam prædoni *voluntarie* elargiri.

§. X. Alterum eſt, quod credideris *legem ait prætor. ff. quod metus cauſa* a Corſino laudatam argumenti inſtar fuiſſe, quo is opinionem, quam tu ei tribuis, ſtabilire, oppoſitam vero infirmare voluerit. Iterum perperam. Non enim Corſinus idcirco legis illius verba adduxerat, ut oſtenderet actus metu factos, eſſe in ſe involuntarios; ſed ut ex jure id, quod tum agebat, doceret; nempe *eiusmodi actus veluti nullos & irritos cenſeri ſolere*, eumque qui metu adductus agit quidpiam, *ab obligatione*, ſi qua alias ex tali actu enaſcatur, *immunem exiſtimari*, ſive id deinde *ipſo jure* fiat, ut loquuntur ſcholaſtici, ſive *quoad effectum*, quod ibi Corſinus non diſputat: tantumque abeſt, ut is non intellexerit actus metu factos, qui ipſo jure irriti ſint, ut eſt e. g. votorum ſolemnium nuncupatio; & matrimonii contractus, non eſſe tales ob defectum voluntarii (niſi fortaſſe *voluntarii ab omni metu liberi*, quale jus in iis ut valeant & obligent, requirit) ut potius luculente id ex eius dictis conſequatur. Si enim juxta Corſinum, ut vidimus, metus, quicumque ille ſit, actum involuntarium non efficit, & nihilo minus actus

ille ob intercedentem metum *veluti nullus ac irritus censeri solet:* oportet sane, aliunde actus valorem suum & robur sumant, vimque obligandi; aliunde vero rationem voluntarii accipiant. Et sicut potest actus esse voluntarius, quin obligationem saltem efficacem, & quoad effectum pariat: ita etiam ipso jure irritus ac nullus esse potest, quin idcirco reddatur involuntarius. Nisi, ut dixi, ratio voluntarii comparate ad jus spectetur, quod interdum illud omni gravi & iniusto metu vult esse vacuum. Tunc enim æque bene sustineri potest, actus metu gestos esse involuntarios, utpote carentes voluntate non simpliciter quidem, sed qualem in iis, ad hoc ut valeant & efficaciter obligent, jus exigit.

CAPUT VII.

Corsini judicium de scientia media a cavillis Hoffmanni vindicatur.

§. I.

Scientia media obiter solum a Corsino Tom. 5. disp. 2. cap. 2. notata alter tibi lapis R. Pater offensionis fuit, & ansa Corsini conscindendi. Ac videris quidem mihi ea ipsa de causa dumtaxat ad materiam istam versandam delapsus esse, nulla argumenti necessitate constrictus; quo occasionem captares, crebrius Corsinum sugillandi. Nam §. tuo 36. ingenue fateris, *moralis Philosophi parum interesse, hocne an*

an illo modo concurrat Deus-ſupervacaneumque eſſe de controverſia hac fuſius iſthic loci tractare. Cur igitur Theologis aut Metaphyſicis Spartam hanc ornandam non reliquiſti? Sed nulla occaſio eius, quod præcipue agebas, erat dimittenda. Non poteras Architæ crepitaculum, *temerarium* ut vocas Corſini *de Scientia media & decreto indifferente judicium ſilentio prateriri*, quaſi eo perinde, ac olim Amyclæ periiſſes. Perierint vero; at non aliis propterea ſemper fuit exitio. Nam

— Tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, invidiæque.

Hor. I. ep. 17.

§. II. Sed videamus, quodnam illud tam *temerarium ſit judicium*, quod te diſertum reddidit, & mutum eſſe non ſivit. Nempe quod Corſinus Tom. 5. diſp. 2. c. 2. n. 11. hypotheſin illam, cui Scientia media innititur, *veluti falſam & abſurdam manifeſtiſſime demonſtrari* ſcripſiſſet. Id tu confidentiſſime, *nil niſi præpoſterum eſſe aſſertum, nil niſi præoccupatum animum ſapere* pronuntias. Mollis ac tener homuncio, qui ne apis quidem aculeum ſine clamore poſſis ſuſtinere! Quomodo autem rurſum te mulſi calicem, quo bilem redundantem temperemus. Huc pulvinos roſæ ac violæ plenos, quos delicato huic ſubſternamus. Flectamus vocem & ſuavius aliquod acroama ei modulemur. Veneremur ſummiſſe cum Herice I. part. tr. 1. diſp. 7. cap. 1. num. 7. & 8. *Divinam in ſcientia*

tiæ excogitatione providentiam, & ſingulare illius beneficium in ſocietatis magiſtros idcirco collatum agnoſcamus. Prædicemus cum eodem *ſocietatem Divino nomine inſignitam, quod Conditor omnium Dominus exercituum doctiſſimos eiusdem familiæ ſcriptores, ut canes ad cuſtodiam adverſus lupos advigilantes cœleſti lumine perfuderit, hacque ſcientia illuſtravit, qua libertas arbitrii contra Lutherum & Calvinum aliosque Sectarios defendi poſſet.* Denique cum Molina ipſo in Concordia quæſt. 23. a. 4. & 5. Auguſtini tempora & ingenium commiſeremur, quod *Scientiæ mediæ principia tum ſatis cognita & explicata haud fuerint: alioqui enim neque Pelagianam hæreſim forte exorituram fuiſſe; neque ex Auguſtini opinione concertationibusque cum Pelagianis tot fideles turbatos ad Pelagianiſmum defecturos.* Hoc inquam aliove mercenario præconio Scientiæ mediæ commentum nobilitemus.

§. III. At ſimilene quid tu virorum optime a Corſino exſpectabas? Minime inquis; ſed modeſtius vellem de ea tuliſſes judicium, neque ceu *falſam & abſurdam* traduxiſſes. Ergo veram ſaltem aut probabilem ut fateretur, præſtolabaris? Itane? ità enimvero: ſiquidem *præpoſterum* Corſini aſſertum, niſi contrario efferatur, rectum eſſe haud queat. At a quo quæſo adverſario, mentalium reſtrictionum chimæris minime paſto id tibi audeat polliceri, ut contra, quam ipſe ſentiat, loquatur; aut ne quod ſentit ingenue edicat? *Emere* R.

Pater

Pater *oportet*, ut ait Comic. in Perſ. *quem tibi obedire velis.*

§. IV. Quamquam non erat, cur alio etiam quocunque nomine cum Corſino idcirco expoſtulares. Noſti fortaſſe illud Satyrici Sat. 2.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?
Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni?

Nempe geminæ voculæ te offendunt? qui aſperiora probra, ſi in alios conferrentur, hianti ore deglutires. Aegre fers *falſam & abſurdam* Scientiæ mediæ hypotheſin dici? quæ longe atrocioribus nominibus in ipſo tuo ortu ad ſacra tribunalia eſt delata, & a Cenſoribus Romanis in famigeratis illis de Auxiliis Congregationibus perſtricta. Hoc exaggeras? qui quibus coloribus aliæ quædam ſcholaſticorum opiniones in veſtris ſcholis depingi ſoleant, non potes ignorare. Compone quæſo hanc a Corſino in Scientiam mediam latam cenſuram (ſi tamen cenſura ea vocanda ſit) cum ea, quam e. g. in *diſtinctionem formalem Scoti* complures Ordinis tui Theologi tulerunt; aut qua *Thomiſtica de præmotione phyſica, & gratia ſe ipſa efficaci ſententia* a vobis etiamnum vexatur: & illam Corſini præ his mitiſſimam deprehendas. Tubera illic dicas eſſe, hic verrucam? Atqui

Qui nẽ tuberibus propriis oſtendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius.

Hor. I. Sat. 3.

Nuſpiam

Nuſpiam adhuc R. Pater ſcripſit Corſinus, *non eſſe ovum ovo ſimilius*, quam doctrinam *Moliniſticam Pelagianæ*: uti P. Livinus Meyer diſſert. 1. de doctrina *Thomiſtarum* cum *Calviniana & Janſeniana* collata pronuntiavit. Nusquam ille *Semi-Pelagianorum* bibliothecæ Molinæ diſcipulos adhuc inſeruit, uti *Janſeniſticæ* inſeruit P. Dominicus Decolonia duos clariſſimos SS. Auguſtini & Thomæ Vindices Noriſium & Serryum. Numquam denique illi ea vox excidit, Concilii Arauſicani II. canonibus jugulatam eſſe veſtram ſententiam, uti jugulatam *Thomiſticam* a Synodo Tridentina Seſſ. 6. can. 4. fuiſſe, P. Gabriel Daniel in Vindiciis ſuis & epiſtolis contendit: veſtrique plenis buccis crepare ſolent. Non ſum equidem neſcius ſimilibus etiam probris Scientiam mediam in quorumdam ſcriptis quandoque pulſatam, & fortaſſe pulſari adhuc: ſed quid hoc noxiæ Corſino eſſe debet, ab eiusmodi invidioſis dicteriis & comparationibus ita abhorrenti, ut eas Tom. 4. Metaph. diſp. 3. cap. 3. n. 12. *gravem & catholicum virum dedecere*, diſerte fateatur? Quodſi R. Pater Scientiæ mediæ incolumitas adeo tibi cordi erat, ut pro ea nullam non dimicationem ſubeundam exiſtimares: quam ob rem non in acriores eius inſectatores ſtylum acuiſti? Sed in unum Corſinum parcum plane & modeſtum cenſorem; ſuoque jure uſum; ad hæc munere illo ante hos annos ſeptemdecim jam defunctum? Itane, *ſi quid delirant reges, plectendi erant Achivi?*

Sed

§. V. Sed mulcendus hic mihi denuo es, ne commovearis, quod Corſinum *parcum* plane & *modeſtum cenſorem* Scientiæ mediæ, *ſuoque jure uſum* dixerim. Hominem inter Scholaſticos educatum, eorum linguam & mores ignorare par non erat. Scis, quid his vocibus *falſus* & *abſurdus* ab iis denotetur. Scis, quoties dum adverſariorum dogmata aliqua impugnantur, formulæ illæ reſonare ſoleant, *hoc falſum eſt, hoc dicere eſt abſurdum*. Scis denique, vel certe ſcire debes, opinionibus quibusdam alioqui inter orthodoxos receptis abſona interdum tribui conſectaria, cuius generis ſunt illa: *ſi daretur præmotio phyſica, Deum fore autorem peccati; periclitaturam humani arbitrii libertatem &c.* Scis inquam hæc omnia, & ſcis paſſim ac impune a Scholaſticis, ſive dum ſua tuentur, ſive dum aliena redarguunt, uſurpari: vel quia id revera fas ſit, adverſarii vero munus huiusmodi conſectaria declinare; vel quia id juris mutuo in ſe ſe longo uſu partes transtulerint: modo tamen modeſtiæ ſerventur limites, & quod dicitur, non pro ingenii cuiusque libidine, ſed cum ratione ſtatuatur. Quod ergo tandem crimen Corſini fuit, hypotheſim Scientiæ mediæ *falſam* & *abſurdam*, dum eam refellit, appellaſſe; ut idcirco *temerarii judicii*, *præpoſteri aſſerti*, *præoccupati animi*, *jactantiæ abſurdæ*, & manifeſtiſſime falſæ a te argui, & irridiculo haberi mererertur? Perſvaſus ille perinde ac centeni alii, veram eſſe Thomiſtarum hypotheſim, contrariam niſi *falſam* credere prudenter

non

non potuit. Gnarus varia ex ea confici consectaria absona, & inconvenientia, *absurdam* jure pronuntiavit. Hoc enim, non putidius aliquid, ea vox sonat, quod non a *sordibus*, sed a *surdus* derivetur. Ignoscant quæso, qui hæc lecturi sunt, ad istas ineptias me delabi: bono odore suffienda fuit vocula, quæ fœtorem acoremque sagacibus quorumdam naribus visa est redolere. Sed in viam revertamur. Huiusne inquam minime insolentis voculæ causa necesse erat usque adeo stomachari, & Corsinum in tantam apud te reprehensionem venire? *De nihilo nihil est irasci*, aiebat Comicus Truc. Sc. lepide.

§. VI. Male hercle Corsino, si tali jure secum ab unoquoque ageretur. Nam idem ille, quem temerarium adeo in Scientiam mediam fuisse quereris, idem inquam ille in generali ad lectorem præfatione Tomo I. præmissa, affirmare non dubitat, *nullam Sectam hactenus esse excogitatam, in qua plurima absurda, inutilia, falsa, non doceantur.* Væ illi etiam a caris alioqui capitibus Thomistis, quorum *obedientialem potentiam* Tom. 4. Metaph. disp. 1. cap. 2. num 7. *veluti absurdam & inutilem a ceteris omnibus Theologis refelli solere* ait. Sed non omnes æque sunt delicati, ut molestiam hinc aliquam accipiant, meliusque formularum & consuetudinis vim tenent.

§. VII. Ne quid tamen desit, quo tibi querulandi occasionem omnem eripiam, familiari tibi, & simili plane illius, quod tu sub finem

§. 48. contra Corſinum expedis, argumenti genere utar: non quod robur aliquod ad alios revincendos ipſe in eo agnoſcam; ſed ut noris, non eſſe etiam aliis peponem pro corde, ſi velint cavillari. Ita vero illud effero: Vel *probabile* eſt, *falſam & abſurdam* eſſe Scientiæ mediæ hypotheſim, vel *improbabile?* Si *probabile* id eſſe dicis: ergo immerito eapropter ſugillas Corſinum, quod eam *falſam* & *abſurdam* nominarit: ſiquidem in tuis principiis liceat unicuique opinionem *probabilem*, etiam in conflictu *probabilioris*, amplecti, quod quidem multo magis in iis quæſtionibus locum habere debet, quæ non ad honeſtatem operationis, ſed cognitionem dumtaxat veritatis referuntur. Si vero *improbabile* id eſſe contendas: agnomen *iniurioſiſſimi* quo tu ibi Corſinum oneras, in te potiori jure recidet, qui audeas non *uni ſolum ſacerrimo, antiquiſſimo & doctiſſimo in Eccleſia Ordini*, ſed pluribus aliis *temeritatis labem adſpergere, quod in materia adeo ſacra improbabilem ſententiam ſequantur.* Non enim ſoli Patres Prædicatores ſunt, quibus Scientiæ mediæ hypotheſis *falſa & abſurda* videatur, ſed innumeri alii, quotquot nempe pro gratia ſe ipſa efficaci decertant. Sed quid ſi hoc ipſum illis non *probabile* ſolum, ſed *probabilius* etiam videatur? quid, ſi *certum* prorſus exploratumque? Verum hoc ipſum eſt, quod te multo maxime adverſus Corſinum excitat & incendit: unde peculiare caput meretur.

* * * * * * * * * * * * *

CAPUT VIII.

Illud ipsum judicium porro vindicatur, & Hoffmanni declamatoria levitas castigatur.

§. I.

NOn contentus Corsinus Scientiæ mediæ hypothesim *falsam & absurdam* simpliciter tantum nuncupasse Tom. 5. Eth. disp. 2. cap. 2. n. 11. addit insuper, *uti talem manifestissime demonstrari*, idque ipsum Tom. 4. Metaph. disp. 3. cap. 4. *clarissimis, certissimisque rationibus, & Scripturarum auctoritatibus a se præstitum putat, ut ab ingenuo Philosopho, veraque doctrinæ amatore negari non possit.* Hoc fomentum ac veluti alimoniam desultoriæ tuæ excandescentiæ uberem suppeditat.

§. II. Nihil vero facilius est ostendere, quam quod immerito quoque hic Corsinus vapulet, & dictum hoc eius prorsus sit extra noxiam. Non utar autem, quo id efficiam, iis argumentis, quæ ipsam *Scientiam mediam* directo verberent aut quatiant, quandoquidem nec tibi collibitum fuit talibus armis eam tueri: sed Corsinum dumtaxat quantum sat est ab omni incommodo sartum tectum ut aiunt servabo.

§. III. Age itaque Cor Philosophi? ecquod *demonstrationis* genus tu Corsinum intellexisse putas, dum hypothesim Scientiæ mediæ *falsam & absurdam demonstrari* scripsit? *Geometricum* aut

Lo-

Logicum, quod nativa ſua evidentia & claritate primo obtutu unumquemque percellat, & vel reluctantem ad aſſenſum rapiat, nullumque porro dubitandi locum in animo relinquat? Non ordo: alioqui oportuiſſet te quoque huius laudem in ficulnea tua lucubratiuncula affectare. Etſi enim *demonſtrationis* vocabulo fere abſtinueris; tamen verba & formulas idem ſignificantes uſurpare non dubitaſti, e. g. cum §. 39. *aſſerti* cuiusdam *falſitatem manifeſtam facere* recepiſti: quam tamen aliis difficulter, ut infra videbimus es perſuaſurus. Reſtat ergo, ut aliud quoddam *demonſtrationis* genus & ipſe agnoſcas, ſeu potius aliam etiam mitiorem voci huic vim ſubeſſe fatearis, quam ei Scholaſtici paſſim tribuunt, dum quidpiam a ſe non nude aſſertum, ſed luculente, quantum ad prudentem aſſenſum deſiderari poſſe putant, confirmatum dicere volunt. Sic quoque Euſebius Cæſarienſis, ſic Abrincenſis Epiſcopus Huetius ſuum de *Demonſtratione Evangelica* opus inſcripſerunt. Scholaſticos dumtaxat R. Pater hic mihi appellandos duxi, non ipſos latinæ linguæ magiſtros, quos ſi excutias, pœne ubique deprehendas, *demonſtro* iis plus non ſignificare, quam *dico*, *oſtendo*, *doceo*, *expono*, *declaro*. Et vero Corſinum ipſum ampliori non nihil ſenſu ſæpiſſime hac voce uſum, liquido tibi conſtare poterat, ſi alia eius loca, præſertim in Phyſica, ubi ſe offerunt plurima, conſuliſſes. Omnium minime profecto *cogentem* illam *demonſtrationem* hic intelligere poterat,

quum ſuam ſibi cum Thomiſtis communem ſententiam conſtanter etiam poſthac meram vocarit *opinionem*. Sed tu R. Pater, qui *demonſtrationis* nomen alibi quam in Logica vix forte legeras, nil niſi rigorem logicum, ubicumque occureret, ei ineſſe poteras ſuſpicari. Verum iſta hactenus. Nam ad RR. Logicos, *probabilium* etiam *demonſtrationem* adſtruentes, ablegare te nolo, ne multorum librorum lectione te onerem.

§. IV. Si tamen necdum his acquieſcis, & Corſinum *demonſtrationem proprie, ſic dictam* deſignare animo debuiſſe porro contendere vis, eo præſertim, quod *manifeſtiſſime id a ſe demonſtratum* ſcripſerit, pace Corſini dixerim, non difficilem aſſenſorem me habebis. Sed denuntio tibi, id cauſæ tuæ nil profuturum. Nam quid amabo inſolens eſt ſua cuipiam cauſæ momenta *demonſtrantia* re vera videri, ſeu *apodictica*, aliis non item? Atqui id, non plus dicit, ſi tamen dicit Corſinus. *Putamus*, inquit, *clariſſimis certiſſimisque rationibus, & Scripturarum auctoritatibus id a nobis demonſtratum*. Quæ quidem verba non ſolum *temeritatem & jactantiam* redolent nullam, ſed modeſtiam potius ſapiunt ingenuo diſputatore plane dignam. Si, quod ſibi videbatur, tibi tuique ſimilibus non perſuaſit; quæ hæc noxia eſt, ut idcirco vocetur in invidiam, quum quid ſibi videretur ſolum edixerit, nec nuda ſui nominis auctoritate ulli umquam voluerit obrepere?

Tres mihi convivæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diversa palato.

Hor. II. Ep. 2.

§. V. Si id in gustibus, multo magis in sententiis. Iisdem varii varie afficiuntur; & vix reperias, quod omnibus approbetur. Quid certius Euclidi visum, at quanto viro! quam *Geometricæ* eius *demonstrationes?* idemque ipsum plurimis aliis, & fortasse non iniuria videtur. Et tamen multi Proclum secuti pleraſque earum infirmas esse, nec gignere scientiam, sed eam tantum cognitionem, quæ ad discentium usus sufficiat, contendunt; inprimis vero demonstrationem quartæ eius propositionis Lib. I. respuunt. Iterum (ut Corsini ipsius exemplo utar Tom. I. Log. part. 4. c. 10. §. 1.) *quid magis ab intellectus lumine abhorreat, atque a principiis illis, quorum notitiam natura ipsa nobis impresſit, quam magnitudinem aliquam absolute ac simpliciter infinitam, cuidam determinatæ ac finitæ magnitudini æqualem esse; finitam superficiem vel tantillum circa se rotatam, infinitam magnitudinem producere; circuli peripheriam puncto æquari; inæquales lineas æquales esse; infinitas nullitates numerum aliquem constituere - alia huiusmodi; quæ tamen vel invicte evidentisſimeque ab Apollonio, Galileo, Torricellio, Robervallio, Grandio aliisque Geometris demonstrata sunt, vel maximam certe vim intellectui noſtro efficiunt.*

§. VI. Quid jam si in hos Analystas tu R. Pater forte fortuna incideres, neque ea quæ

essent polliciti, ii tibi demonstrasse viderentur (ut certe Geometriæ ignaro videri non possent) an etiam idcirco in *temeritatis*, *præposteri asserti*, *præoccupati animi*, & *absurdæ jactantiæ* crimen eos vocares? Atqui nemo eos de his appellavit hactenus, sed si qui fuerunt, quibus argumenta eorum *apodictica* visa non sunt, ii paralogismos, aliavæ falsæ ratiocinationis vitia iis detegere sunt conati. Tu vero homo cordatissimus, ut hoc officii Corsino præstares, tam nihil fuisti sollicitus, ut eius de *Scientia media* sententiam *ne responso quidem dignam* judicares. Ita brevibus hinc te expedisti, & longam satis ea de re Corsini commentationem uno spiritu exsufflasti. Ingeniosa profecto methodus, qua adversario suo litigator quisque ineptissimus nullo negotio elabatur.

§. VII. Ne tamen nihil omnino videreris reposuisse, incredibili levitate conatum tuum omnem ad componendam declamatiunculam convertisti. *Hem Pisanum!* inquis, *ille ille &c.* Quorsum hæc facundissime Romuli nepotum? Ecquid præfari necesse erat, te *de ornatu verborum nihil fore solicitum*, qui tot ornamenta, sententiarum etiam, hic in paucas lineas esses congesturus? Hoccine vero strepitu causa egebat, ut si quis Tyria maria concitaret? Num digna sunt homine Philosopho, eoque Socratico? An non vides, quam coniecturam ex tua hac ventosissima loquacitate de animo capere liceat, siquidem index animi est oratio? Plane illud Sallust. Catil. 5. in te quadrat: *Satis loquen-*

quentiæ, ſapientiæ parum. Invita crede Minerva, invitis Superis omnibus iſta hic illevisti. Rus, & affectatum neſcio quid obolent omnia. Vis exempla?

§. VIII. Corſinum nobis veluti Alexandrum Macedonem nodum Gordium ſecantem in ſcenam producis. Frigidiſſimus ſane jocus, tuſſim & ravim creare natus, & qui in te longe melius, quam in Corſinum accidat, dum §. 39. *patentem aſſerti* cuiuspiam Corſiniani *falſitatem, uno dumtaxat dilemmate*, ceu uno ictu ais *te facere manifeſtam.* Nullibi tam inſolenter ſe effert Corſinus, nullibi tantus eſt Suffenus: tantum abeſt, ut *controverſiam a geminis Sæculis inter Doctores utriusque partis ingenio ac doctrina præſtantiſſimos ſollicite agitatam, uno ictu a ſe diremptam* prædicet. Lege Metaphyſicæ ipſius numerum poſtremum, & illic egregiam Corſini in definienda hac quæſtione animi moderationem maximo rubore tuo reperias. Nam cum prius dubitantis more quæſiviſſet, *quænam opinio Moliniſtarum an Thomiſtarum a ſuſpicione erroris foret immunior ac remotior?* ἀναντιφώνητον id relinquit, & tota lite his ſe expedit: *Hæc aliaque id genus plurima alii viderint. Nobis hæc indicaſſe ſufficiat, ut de celeberrima hac controverſia, quæ acriter adeo agitari ſolet, judicium aliquod ferri poſſit, donec illa ab Apoſtolica ſede, quod bonorum omnium votis optari intelligimus, dirimatur.* Cedo nunc R. Pater, an hoc eſt controverſiam *uno ictu dirimere*, eam *dirimendam ad Sedis Æpoſtolicæ* arbitrium referre?

ferre? Quam vellem melius ad iſthæc animum advertiſſes? tantum lectori ludibrium haud deberes. Sed genius tuus eſt ad conflandam Corſino invidiam, dicta ab eo, non ingenue, nativaque facie, ſed detorta repræſentare, plusque ei affingere, quam ex eius verbis poſſit elici.

§. IX. Eiusdem prorſus furfuris eſt, quod ſequitur. *Ille*, inquis, *certiſſimas, evidendiſſimasque rationes, hactenus tantis Viris ignotas attulit, quibus adverſæ ſibi ſententiæ omnem eliſit probabilitatem.* Ubi enim vero hoc itenum nomine Corſinus ſe venditat? An non Tom. 4. Metaph. diſp. 3. c. 4. n. 10. *ex pluribus variisque rationibus auctoritatibus, exemplis, & ſi quæ ſint alia argumentorum genera, quibus & illuſtrari explicari uberrime ſolet* Thomiſtarum opinio, *pauca* dumtaxat, *ſed quæ clariora fortaſſe, & efficaciora videntur, breviſſime ſe complexurum* pollicetur? An non idem repetit num. 11. ubi *ex auctoritatibus, quas Thomiſtæ immeras atque clariſſimas afferre ſolent eam, quæ ceteris clarior & uberior eſt ex celeberrimo Tridentini Concilii decreto deſumta*, a ſe afferri diſerte ait? Tu tamen, quaſi *certiſſimas, evidentisſimasque rationes hactenus aliis incognitas*, producturum ſe profeſſus fuerit, ei inſultas. Si hoc carlumniari non eſt, neſcio quid ſit calumnia. Sed nondum finis.

§. X. Pergis tuam copioſe loquentem ſapientiam exercere. *Ille*, inquis iterum, *adeo ſolide ac nervoſe argumentatus eſt, ut nec ingenuus*

nus Philoſophus, minus probus Theologus, aut veræ doctrinæ amator dici poſſit, qui ei victas non ſubdit manus. An ſic amas vir lepidus offuciis paſcere lectores, & quidquid lubet comminiſci, modo ut queas criminari? Cur non Corſini verba hic etiam retines, ſed depravas, ac oliorſum detorques? Dixerat Corſinus, *hypotheſim Scientiæ mediæ falſam & abſurdam demonſtratam ſe putare-ut ab ingenuo Philoſopho, veræque doctrinæ amatore negari non poſſit.* Formula eſt Scholaſticis ſæpiſſime uſurpata. At tu hic eum veluti Jovem lapidem jurantem, Deosque omnes ac deas obteſtantem inducis: *non eſſe ingenuum Philoſophum, minus vero probum Theologum, aut veræ doctrinæ amatorem, qui ei victas non ſubdat manus.* Non eſt hoc adulterare Corſini ſententiam, & in peſſimam partem iterum accipere, quæ probabilem habent intellectum, & ipſo uſu defenduntur? Licebat ita Corſino loqui, ſi vel veroſimilior Thomiſtarum opinio ei videretur. Veroſimilior dico. Nam ut ingenue prudenterque negari quidpiam ab aliquo non poſſit, neceſſe non eſt, omnino evidens perſpicuumque id ei videri; ſat eſt vere ſimilius apparere. Deinde uti *Scientiæ mediæ hypotheſim falſam & abſurdam demonſtraſſe ſe* non niſi *putavit; ita & ab ingenuo Philoſopho, veræque doctrinæ amatore negari id non poſſe,* quod illic contendebat, nihilo plus quam *putavit.* Unde recte haud inferas, de Philoſophi aut Theologi appellatione quæſtionem iis

movere voluiſſe, qui ſecum non conſpirarent. Nam non præciſe, ſed habita ratione argumentorum id dixit Corſinus? puta ſi hæc, eadem cuipiam ac ſibi, ad impetrandum nempe aſſenſum idonea viderentur. Sin, ut nemini in perſuadendo vim inferre voluit, ita nec ullum debita laude fraudare: quamobrem etiam ipſos Molinæ aſſeclas Tom. 4. Metaph. diſp. 3. cap. 3. num. 12. *Sapientes* appellare minime dubitavit.

§. XI. Nempe ut ſuperius jam adnotatum eſt, non omnes eadem æque afficiunt. Iſtum hæc, alium alia movent & convincunt; nec in poteſtate noſtra eſt, ut ſi quid nos in animum noſtrum induxerimus, protinus aliis etiam perſuadeamus. Quamquam & fallacia aliqua non raro hic intercurrit. Nulti ſæpe alicuius opinionis argumentis ſe revinci ſentiunt, ſed nolunt ſe revictos confiteri. Intereſt enim aliquid inter revictum & confeſſum. Amor ſui, vel electæ ſemel hypotheſis, adverſarii odium, contradicendi prurigo, aliæque affectiones eos remorantur. Multis hæc eadem, ne revinci queant; officiunt, quod mentis aciem ita hebetent, lumenque omne eripiant; ut verum, ubi etiam perſpicuum ſe obtulerit, nequeant intueri. Utram ad claſſem tu R. Pater referendus ſis, per te ipſe videris; niſi & in hoc cœcutis. Quid ſi *ut videns ne videas, & audiens non intelligas,* glaucoma tibi obiicit ille ipſe amor, quo Scientiam mediam efflictim deperis, cuius tuendæ ſtudium tam-

quam

quam proprium pridem Societas universa dedicavit, quamque *veluti lumen oculorum suorum* (quibus nobis nihil esse charius solet ac amabilius) *semper suspexit*, ut ait P. Gabriel Henao in *Conclusione Eventilationum Scientiæ mediæ historice propugnatæ.* Qui quidem plane non verecundatur genuinam rei huius rationem, Politicorum filiis dignam afferre, nempe, *si deprimi obruique ea doctrina sinatur - actum fore de Scholæ societatis existimatione in ceteris suis placitis, non susceptis tanto cum ardore, neque imo totius Religionis ore acclamatis.* Alibi vero hanc S. Ambrosii sententiam ex Libr. I. Offic. c. 13. eo transfert: *Quis namque operator negligat operis sui curam? quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putauit?* Alteram item Eusebii Cæsariensis ex Libr. VIII. de Præpar. Evang. cap. 5. *Pater omnis aut autor ea, quæ genuit aut fecit, diligenter studet conservare; quæ opprimere possunt, expellens, quæ utilia sunt suis acquirens.* Hæc si legisset Autor artis cogitandi, egregio exemplo suam quam Part. 3. Cap. 20. *de fallaciis, quæ ex inordinatione voluntatis oriuntur*, tradit doctrinam, illustrare potuisset.

Amare & sapere vix Deo conceditur.

Publ.

* * * * * * * * * * * * *

CAPUT IX.

Græcanica Hoffmanni eruditio, & reliqua huius commatis.

§. I.

Digniſſimum conſideratione eſt, quod priori exaggerationi tuæ ſatis profuſæ, R. Pater ſubiicis, eruditionis tuæ Philologicæ ſpecimen; ex ipſis Pythagoricæ Scholæ penetralibus depromtum, celebre illud, ut quidem tu ſcribis αυτος εφα. Dignum plane tali patella operculum, & labris lactucæ. Exiſtimo non alia de cauſa illud te afferre voluiſſe, quam ut Græcæ etiam litteraturæ famam apud lectores aucupareris ne qua forte re Corſino videreris inferior. Nam & alio in loco, farragine nempe illa *aſſertionum* tam metuendarum, Græci quidpiam intexuiſti. Sed meræ iſtæ ſunt præſtigiæ.

> Ne quidquam populo bibulas donaveris aures:
> Reſpue quod nos es: tollat ſua munera cerdo.
>
> *Perſ. ſat. 4.*

Neſcis ex fabulis, quid iis contingat, qui æmulaturi alios ultra vires ſe inflant? Nihil es minus, quam Græce doctus. Nihil Græci in te deprehendere liceat, quam quod Cicero 2. de fin. de eorum *levitate ac perverſitate* inquit, *quod maledictis inſectentur eos, a quibus de veritate diſſentiunt.*

§. II.

§. II. Enimvero quis Græcis litteris vel initiatum esse dicat, qui ne scribere quidem Græce norit? Atqui αὐτὸς R. Pater per υ vocalem, non αὐτος per ου diphthongum scribendum erat; neque sine accentibus, ut hodietni scribunt Græci. Supina, certe Græci sermonis ignorantia! infelix eiusdem peritiæ affectatio! multo turpior in eo, qui ex tali mustaceo captat laureolam. Subaudieras forte aliquando, *u* latinum in Græca scriptura per ου, seu contracte per ȣ reddi solere; quumque αυ in αὐτὸς similiter ac *au* latinum enuntiari audivisses, αὐτος *scribi a Græcis* acutissimus litterator coniecisti; itaque pulcherrima commutatione ἄὐτος ἔφα *illæsus dixit*, pro Pythagoreo illo ἀυτὸς ἔφα *ipse dixit* nobis supposuisti. Quanto melius existimationi tuæ consuluisses, si hoc Helladicæ eruditionis documento penitus abstinuisses, aut si tibi id adeo erat in deliciis, latine illud extulisses. Quamquam & hoc inepte in Corsinum; cum is nil æque, atque hanc Pythagoreorum disciplinam detestetur, *ut valeat sine ratione autoritas.* Sed tibi ad salivam hic jocus erat, & idcirco vel hoc solo aptus.

§. III. Utque festivior etiam fieret, illud Poëtæ adiecisti: *Risum teneamus amici.* Recte quidem, nam

Risu inepto res ineptior nulla est.

Catull. 40.

Sed

Sed mox diſimilis tui refers pedem, & ſi cui *falſam & manifeſtisſime abſurdam hiſtoriographi jactantiam ridere lubeat*, ridendi veniam facis. Ita ſcilicet invictus heros iniuriam ulciſceris Scientiæ mediæ a Corſino illatam; quod is de ea dixerat, in huius jactantiam longe cumulatius transferendo. Sed neſcio, an riſum cuiquam hæc tua exciverint, niſi ſi qui forte ſint gnathonis illius apud Comicum Eunuch. 2. 2. ſimiles, qui *aſſentantur omnia*, &

Ut ridentibus arrident, ita flentibus adſunt.
Hor. Art. v. 101.

Ergo *ridete quidquid eſt domi cachinnorum.* Catull. 32. At ego te R. Pater riſu digniſſimum judico, qui vitium jactantiæ, cuius mantica plena tibi in tergo eſt, in Corſino deprehendere tibi videaris ob

— — limos oculos transverſa tuentes.

Plane ut ille apud Senecam ſenex, qui cum ipſe per ætatem minus commode oculis uteretur, in quodcunque cubiculum ingreſſus erat, vero ac ſerio querebatur, illud parum luminoſum eſſe, maiores feneſtras fieri oportuiſſe.

§. IV. Sed redis unde deflexeras, iterumque te colligis. Credideram ego priori periodo finem te expoſtulandi cum Corſino feciſſe, poſtquam ei tam feſtive acclamaſti. At digreſſionem ſolum fuiſſe brevem, tuum illud iterum repetitum *Ille*, prodit. Nimius es in hoc genere. Videris præcipuam eloquentiæ laudem in eo ſtatuiſſe, ſi non minore numero, quam

quin-

quinquies periodum ab ea voce inchoares: uti Quintiliani tempore, ut is Libr. 10. Inſt. cap. 2. teſtatur, erant, qui ſe pulchre genus Ciceronianum dicendi expreſſiſſe arbitrabantur, ſi crebrius eorum periodi in eam clauſulam deſinerent: *eſſe videatur.*

§. V. Verum ne ludendo argumenti tui, quod hic qualecumque Corſino obiicis, vim declinare me velle exiſtimes, quanta ea ſit, expendendum. Miraris, qua ratione is demonſtratam a ſe quæſtionem dicere potuerit, quam tamen cum Auguſtino ita ad diſcernendum difficilem eſſe ultro profeſſus ſit; *ut quando defenditur liberum arbitrium, negari gratia Dei videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Lepidum caput! Mirari debebat etiam Auguſtinum, quomodo is nihil moratus hanc eámdem difficultatem, ſuum de Gratia dogma contra Pelagianos ac Semi-Pelagianos nihilominus conſtanter retinuerit, acerrimeque ad mortem uſque tutatus ſit, ut ne quidem ſcandala, quæ inde oriebantur, curanda ſibi putarit; imo tam nervoſe & efficaciter id ipſum præſtiterit, ut Gratia eo duce tandem vicerit, ipſique adeo Pelagiani argumentorum eius pondere preſſi ad fatendam illius neceſſitatem aliquam ſint adacti. Vide igitur, quam hic erraris probe iterum, dum adoptatam a Corſino Auguſtini ſententiam ſic interpretatus es, at ſi ea ſignificetur, ambiguum, minimeque exploratum eſſe de con-

tro-

troversia illa judicium, neque alterutram illius partem sine ulla dubitatione defendi posse. Hinc enim consequeretur, non jam Molinistarum & Thomistarum opiniones, sed ipsam Pelagianam hæresim, dogmaque Catholicum eodem gradu consistere, nihilque hoc illi certitudine veritatis præstare. Contra Pelagianos quippe, cum hæc edissereret, scribebat Augustinus: & nihilominus eodem libro dogma Catholicum tamquam certissimum adversus eos stabiliebat.

§. VI. Disce hinc igitur, aliud esse demonstrationis difficultatem qualem qualem agnoscere; aliud vero id quod controvertitur, demonstrare reapse non posse. Primum non dissimulavit Augustinus; alterum nuspiam est confessus. *Dixi*, ait ipse Libr. 4. contra Jul. cap. 8. *istam quæstionem ad discernendum esse difficilem; non autem dixi, non posse discerni.* Deinde prius illud dictum non ita extulit, *quod dum asseritur gratia Dei, auferatur liberum arbitrium;* sed *quod putetur auferri.* Quo quidem satis indicavit, apparentem solum visam eam sibi difficultatem, uti plerumque fit, dum res ambigua obiter & immeditate consideratur. Operæ pretium est reddere hic ipsa Sancti Patris verba integre, quando eamdem dictorum discrepantiam olim ipse Julianus, etsi peiore fide, quam tu Corsino opprobrabat. *Asseris me* (alloquitur Cap. cit. Julianum) *in alio libro meo dixisse, negari gratiam*

ſi liberum commendetur arbitrium. Calumniaris. Non hoc a me dictum eſt, ſed propter ipſius quæſtionis difficultatem videri hoc poteſt dictum eſſe, & putari. Non eſt multum, ut ipſa verba mea ponam, unde videant, qui hæc legunt, quemadmodum ſcriptis meis inſidieris, & qua conſcientia vel tardis, vel ignaris cordibus abutaris, ut ideo te exiſtiment reſpondere, quia non vis tacere. In noviſſimis enim partibus primi Libri mei ad Sanctum Pinianum, cuius eſt titulus: De gratia Dei contra Pelagium; Iſta, inquam quæſtio, uti de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri &c. Tu autem vir honeſtus & verax abſtuliſti verba quæ dixi, & dixiſti quod ipſe finxiſti. Ego enim dixi iſtam quæſtionem ad diſcernendum eſſe difficilem; non autem dixi non poſſe diſcerni. Muito minus ergo dicerem, quod me dixiſſe mentiris, negari liberum arbitrium, ſi gratia commendetur; & negari gratiam, ſi liberum commendetur arbitrium. Redde verba mea, & vaneſcet calumnia tua. Repone ſuis locis, ubi dixi videatur, ubi dixi putetur, ut oppareat de re tanta, quibus ab te fraudibus diſputetur. Non dixi negari gratiam, ſed ut negari gratia videatur. Non dixi negari liberum arbitrium, vel auferri, ſed dixi ut putetur auferri.

§. VII. Hactenus Auguſtinus. Denique ſi ἀκριβῶς loquendum ſit, Corſinus alia plane

mente priora illa Auguſtini verba attulit, quam tu ei imponas, & hinc aduerſus eum ad hominem ut aiunt, arguas. Propoſuerat is ſibi argumentum, quo paſſim contra Thomiſtas adverſarii uti ſolent, nempe in eorum hypotheſi difficilem admodum reddi gratiæ & liberi arbitrii concordiam. Reſpondet Corſinus, hoc ipſum eſſe indicium ſtantis a Thomiſtis veritatis, ſi eorum opinio difficilior & obſcurior videatur, eo quod hanc difficultatem ipſe etiam in ſua, quam tuebatur, perſenſerit Auguſtinns, hactenus ut dixerit, *dum aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putari auferri.* Tu vero comminiſceris, idcirco eam ſententiam hanc ab Auguſtino mutuatum eſſe, ut cum eodem declararet, neutram vexatiſſimæ quæſtionis partem liquido poſſe definiri. Atqui definivit diſerte, ut conſtat, Auguſtinus, idque ipſum etiam agnovit Corſinus.

§. VIII. Ceterum quid ipſe per ſe ſe ea in re præſtiterit, aut quousque progreſſus ſit; an (ut tu in extrema §. tui 36. parte petulantiſſime ei inſultas) *decretum prædeterminans ab intrinſeco efficax & abſolutum adeo infirmis dudumque ſolutis pertractarit argumentis; adeo mance reſponderit obiectionibus, quas obvias ſibi leviſſimasque poſuit diſſimulatis ſolidioribus, ut ſententiæ huic ab illo vix ullum (quamvis plurimum ab aliis doctrina & virtute celeberrimis Viris pro prædeterminatione decertantibus) pondus accedat aut momentum?* diſputare ipſe nolo. E re autem tua fuiſſet; qui id tam

tam fidenter asserueris, digitum saltem ut fieri solet ad fontem intendere, & aliqua ex parte infirmitatem & levitatem argumentorum eius experiri. Sed quando id lectoris relinquis arbitrio, patiar libenter & ego eum in hanc rem edi judicem; non *amicum* quidem illum, ne suffragium amicitiæ jure postulare videar, sed quemque eruditum ac cordatum & *in humana liberum ab invidia*, qui cum illa Corsini, tum inprimis istud tuum, *an nihil ex præposteræ affectu hic dixeris*, juste sapienterque disceptet. Te quidem nisi ad *amicum* provocare par non erat, quod alius nemo facile secundum te sententiam esset dicturus. Interim dum id fiat, patere ut Corsini nomine ea paginæ hinc adscribam, quæ olim *Romanæ fidicen lyræ* libello puerum jussit subscribere, cum suos a quibusdam levibus, nulliusque pretii censoribus versus arrodi intellexisset.

— Satis est equitem mihi plaudere, ut audax
Contemptis aliis explosa arbuscula dixit.
Men' moveat cimex Pantilius, aut crucier, quod
Vellicet absentem Demetrius, aut quod ineptus
Fannius Hermogenis lædat conviva Tigelli?
Plotius & Varius, Mæcenas, Virgiliusque,
Valgius, & probet hæc Octavius optimus, atque
Fuscus, & hæc utinam Viscorum laudet uterque!
— — — Demetri teque Tigelli
Discipulorum inter jubeo plorare cathedras.

Libr. I. Sat. 10.

****

CAPUT X.

De bonitate & malitia intrinseca quorumdam actuum status controversiæ, & Corsini sententia.

§. I.

Absoluto altero motæ a te R. Pater, Corsino litis capite, tertium aggredimur, de *bonitate & malitia actibus quibusdam intrinsecus* ut vocant *inhærente.* Ac nescio an uspiam alibi rem tibi felicius cessisse adversus eum, atque hic existimaris, quod nulla opinio minori contentione infirmari posse videatur, atque ista. Adeo in ea refellenda confidens animi es, ut nihil supra, nihil quod tibi regeri queat extimescens. Sed quam insignicer delusus sis, res ipsa loquatur postea.

§. II. Nunc ante omnia quæstionis status, quam fieri potest, apertissime explicandus, ne alioqui quod fieri assolet, *ubi plurimum laboraverimus, eodem in statu simus.* Itaque dum de *bonitate & malitia intrinseca*, quæ actibus quibusdam inesse dicitur, quæritur, non est controversia, an reapse dentur actus *intrinseci mali* vel *boni*; id quippe probabili ratione admitti posse plerique omnes fatentur, etiam qui opinionibus plurimum inter se dissident, ut videre est in Corsino, qui Tom. 5. Eth. disp. 2. cap. 4. num. 5. & 8. nec non cap. 6. num. 11. & 17. & alibi passim eam appellationem

nem retinet; & nos ipſi, quo ſenſu id ſuſtinere queat, infra declaraturi ſumus. Non eſt etiam quæſtio, an *bonitas* vel *malitia moralis* actus cuiuspiam aut obiecti neceſſario reſpectum aliquem & ordinem includere debeat; id enim tu ipſe ultro concedis §. 37. & 38. ubi *bonitatem & malitiam moralem* univerſim in *tendentia* quadam ſeu ordine ſitam eſſe doces. Sed nec illud controvertitur, an quidpiam *bonum* vel *malum formaliter*, ut tu diſtinguis, dici poſſit, quin cum reſpectu aliquo ad legem Dei æternam præcipientem aut prohibentem concipiatur; nam uti in hoc Corſino tu conſentis §. 40. ita hic viciſſim in eo tibi cap. 6. n. 17. quod illa quæ defacto *intrinſecus bonum* vel *mala* ſunt, talia ob ſuam, quam cum natura humana habent confirmitatem vel difformitatem dicantur.

§. III. Cardo igitur diſceptationis omnis in eo verſatur, an *bonitas* vel *malitia radicalis, eſſentialis & ſpecifica*, quæ quibusdam actibus vel obiectis intime ineſſe concipitur, præciſe ex eorum conformitate aut difformitate *cum natura humana ſecundum ſe, & in quacumque hypotheſi vel rerum ordine ſpectata* habeatur, minime vero ex *voluntate Dei?* Id vero eſt, quod Corſinus negat, contendens, eiusmodi *bonitatem & malitiam* repetendam eſſe a convenientia vel diſconvenientia *cum natura humana* non nude qua tali ſpectata, ſed *quatenus hac potius quam alia ratione a Deo conſtituta*, conſequenter *ab ipſa Divina voluntate.*

Tu contrá putas, & quæ tua prorupta eſt audacia, Corſini ſententiam non modo *patentis falſitatis* inſimulas, *ab ulloque ingenuo Philoſopho veræque doctrinæ amatore ſectandam* negas; ſed id ipſum etiam *unico dumtaxat dilemmate manifeſtum facere* magnifice recipis.

§. IV. Felix profecto & nimis quam locuples ingenium! quod tanto compendio celeberrimam Sæculo noſtro opinionem funditus ſubruere queat, cui quatiendæ, ubi ſuperiori ſæculo inſtaurari cœpit, alii ſpiſſa volumina nequidquam dicarunt. Atqui ſi R. Pater non dico dilemmatum (quod argumenti genus Timon ille Μισάνθρωπος aliunde pro ridiculo & frivolo habuit) ſed ſyllogiſmorum etiam, enthymemátum, ſoritarum, pſeudomenorum, non modium aut trimodium, ſed plura hic nobis admetiaris horrea, nil promovebis. Æque ſtrues hæ pueros non niſi terrere aptæ diffabuntur, atque *a vento folia ſolent, aut paniculæ tectoria.*

§. V. Stolide ferocem viribus, ut tu ſoles, magnoſque promittentem montes hic me fortaſſe R. Pater exiſtimabis: ſed quo tibi hunc metum adimam, nihil admodum opus, quam ut Corſini ſententiam veram rationibus oſtendam. Fiet id vero, ſi quatuor hæc effecero: *primum moraliter bona* aut *mala* minime eſſe, vel eſſe poſſe, quæ naturæ humanæ *ſecundum ſe* dumtaxat *ſpectatæ* conveniunt vel adverſantur. *Alterum* ea quæ defacto *intrinſecus mala* ſunt, cum natura humana *ſecundum ſe ſpectata*

ſpectata non pugnare, ſed ſolum ut *in præſenti ſtatu rerumque ordine, non alio, conſtituta.* *Tertiam malitiam* in obiectis quibusdam vel actibus intime ut præfertur inhærentem, independenter *a voluntate Dei* non haberi: imo quod *poſtremum* erit, ne haberi quidem ullam aut fingi poſſe, niſi principium aliquod ſuperius natura humana, quod *in tali ſtatu* eam collocarit, exiſtere ſupponatur. Nunc de *primo* videndum.

§. VI. Si naturam humanam *ſecundum ſe*, id eſt præciſe ut talis natura eſt, conſideremus, deprehendemus in clara diſtinctaque illius idea aliud menti noſtræ non exhiberi, quam *principia* ut vocant, ex quibus ipſa intrinſecus conſtituitur, & ſi porro eam rimari lubeat, cognatas, quæ ex talibus principiis neceſſario manant *proprietates.* Nihil extrinſecum, adſcititium nihil hic incurrit. Unde ea ſola demum naturæ humanæ ſecundum ſe ſpectatæ convenire aut diſconvenire dici poſſunt, quæ *principiorum* eius aut *proprietatum* intimarum partem aliquam efficiunt, vel his e diametro opponuntur. Tota ea res mutua idearum incluſione & excluſione, connexione & pugnantia abſolvitur. Vis animalis e. g. vis rationalis ut connexæ, *principia* ſunt, naturam humanam in ratione talis naturæ nempe humanæ conſtituentia: at vis appetitiva, vis rememorativa *proprietates* ſunt, ad illa *principia* neceſſario in natura humana conſequentes. Utraque in idea hominis clare nitideque intelligun-

tur, vel certe infallibiliter cum ea connectuntur; utraque proinde nuturæ humanæ *ſecundum ſe* ſpectatæ conveniunt. E contrario inertia e. g. ſenſus omnis & motus expers, quia dictis *principiis & proprietatibus* aperte adverſatur, & ab idea hominis perſpicue excludi noſcitur, idcirco naturæ hurnanæ *ſecundum ſe* diſconvenire deprehenditur. In toto autem hoc idearum ſe ſe includentium aut excludentium, convenientium invicem aut pugnantium apparatu, nihil *bonitatis vel malitiæ moralis* relucet, ſed *phyſicæ* dumtaxat aut *metaphyſicæ*, quæ a *morali* prorſus eſt diſtincta.

§. VII. Et vero cum rei cuiusque entitas ſeu quiditas nihil aliud ſit, quam *phyſica* ſolum *bonitas* illius; uti quæ entitatem hanc conſtituunt aut ingrediuntur, non alius, niſi *phyſici boni* rationem habere poſſunt, ita & quæ ei adverſantur, non alius *mali* rationem, niſi itidem *phyſici*, aut quod hic idem eſt *metaphyſici;* cuiusmodi *bona* aut *mala* in genere *moris*, ſi nihil aliud accedat, prorſus *indifferentia* ſunt & *adiaphora.* Neque ut ſupra innui, & per ſe liquet, eadem *utriusque boni* eſt ratio, ut unum alterum neceſſario inferat, aut ſine eo conſiſtere non poſſit. Imo tantum abeſt, ut quæ hoc modo *phyſice bona* aut mala ſunt, *mala* vel *bona moraliter* efficiantur, ut etiam inepta ſint quibus *moralis* quæcumque *bonitas* vel *malitia* inducatur. Huius enim recipiendæ ea ſolum ſunt capacia, quæ electioni & libero hominis arbitrio ſubduntur, & in eius

ſunt

sunt potestate, ut sint vel non sint, fiant vel non fiant; non quæ necessariam prorsus cum eius natura convenientiam involvunt vel repugnantiam, quæque uti non stat per eum arcessere, ita nec amoliri. Ridendus certe esset, qui vim sensitivam aut intellectivam utpote naturæ humanæ *secundum se* spectatæ convenientem *moraliter bonam* esse aut effici posse diceret, horum vero privationem *malam moraliter*, utpote ei repugnantem; & ad scholas, ut illic quid *moralitas* sit disceret, foret remittendus.

§. VIII. Sunt equidem etiam nonnulla, quæ connexionem aut repugnantiam necessariam cum natura humana haud includunt, sed fortuito ei accidunt, & nihilominus *bona* aut *mala* illius dici solent; ut sanitas e. g. morbi, mors ipsa. At neque hæc *boni* vel *mali moralis* rationem propterea induunt, eo quod ab aliis causis pendeant, nec homo liberam eorum habeat facultatem. Sunt item alia, quorum integra quidem penes hominem est potestas; quo in numero censentur actus potentiarum naturæ humanæ propriarum: verum nec in his adhuc aliqua *moralitatis* apparet ratio. Licet enim ii actus *bonitatis* aut *malitiæ moralis* sint capaces, in quo a prioribus differunt; tamen quamdiu natura humana sine omni ordine & statu cogitatur, nihilque extra eam concipitur; *physica* perpetuo manet illius consideratio, *physica* adeo eorum actuum cum natura convenientia, unde nec alius ordinis quam *physici bonitas* in

iis fingi poteſt. Comminiſcere R. Pater *bona* & *mala* quæ vis, aliaque aliis accumala: ſi ea cum natura humana *ſecundum ſe* dumtaxat ſpectata compares ſive in ſtatu meræ eſſentiæ, ſive etiam realis exiſtentiæ, nihil tamen *bonitatis* vel *malitiæ moralis* ex iis extundes, nullam habitudinem vel tendentiam ad regulam quampiam morum in iis deprehendes. Tam id perſpicuum eſt, quam ea, quæ oculis cernuntur. Nihilo vero minus id quod ſequitur, alterumque eſt quod demonſtrare promiſi, ea nempe, quæ defacto *moraliter intrinſece mala* ſunt, naturæ humanæ tamen *ſecundum ſe* conſideratæ haud repugnare.

Caput XI.

Eadem Corſini ſententia magis firmatur.

§. I.

Concedes dubio procul R. Pater, etiamſi non poſtulem, *mendacium* unum eſſe ex iis actibus aut obiectis, quæ *malitiam moralem* intime ſibi affixam habeant, & neceſſario, invariabiliter, immutabiliterque, hoc eſt jure naturæ *mala* ſint & *turpia*. Libenter hoc exemplo utor, quod illud inter Scholaſticos, imo Catholicos omnes hodie perſuaſiſſimum ſit, poſtquam Auguſtinus intrinſecam *mendacii* turpitudinem tam acute retexit, & compluribus libris confirmavit; etſi non deſint inter heterodoxos, qui eius uſum in certis caſibus nedum licitum adſtruant, ſed etiam inter officia referant.

rant. Verum inter nos, ut par eſt, fixum ratumque ſit, illud nulla umquam ratione poſſe cohoneſtari. Oportebit igitur illud naturæ humanæ *ſecundum ſe* ſpectatæ adverſari. Ita enim vero, ſi explorata & inconcuſſa ſententiæ tuæ eſſe debeat veritas. At R. Pater ſponſionem interponere bona fide poſſum, ſudaturum te multum, & elaboraturum diu, dum repugnantiam hanc nos doceas; & nihilominus tamquam caballum in clivo & operam & ſudorem perditurum.

Sambucam citius caloni aptaveris alto.

Perſ. Sat. 5.

§. II. Quid natura humana *ſecundum ſe* ſpectata dicat, ſupra vidimus. Verſa illam, reverſa, nil aliud quam *principia* illam componentia, & hinc fluentes *proprietates* deprehendes: at quod *mendacio* cum his pugnans inſit, omnino nihil. Pugnat illud quidem cum mente, quatenus eſt externi ſermonis cum interiore animi ſenſu diſcrepantia: at hinc nulla adhuc in eo repugnantia & diſconvenientia cum natura hominis *ſecundum ſe* efficitur. Et vero ſi diſcrepantia illa ſermonis & mentis *moralem* in mendacio *malitiam* efficere debeat, ratio certe reddi non poterit, cur eam potius in ſermonem, quam actum mentis oppoſitum aut conſcientiam refundat; quum non magis ſermo externa ab interna conſcientia, quam hæc ab illo in mendacio diſcrepet, utrumque vero, cogitare & loqui humanæ naturæ ſit proprium.

§. III.

§. III. Imo tantum abeſt, ut mendacium cum natura humana *ſecundum ſe* ſpectata pugnet, ut ei potius ſic quam maxime congruat, utpote proprius actus eius. Quantum ad hoc attinet, eadem eſt illius quæ *veriloquii* ratio, in homine ad utrumque facultas; & ut *verum eloqui* nemo niſi homo ſit poteſt, ita nec *mentiri*. Fateor congruentiam hanc non eſſe, niſi ordinis *phyſici*, ſimilem eius quam dicit actus cum ſua potentia, aut ſubiecto: at quum ego convenientiam *moralem*, quæ ad *bonitatem moralem* requiritur, hinc ego nullam in alterutro eorum adſtruam, velim abs te mihi *moralem* diſconvenientiam *in mendacio* indicari, unde *radicalis* illa & *intrinſeca malitia* in eo reſultet. Illud ſaltem certiſſime hinc conſequi puto, *indifferens* prorſus in genere moris eſſe *mendacium*, ſi ad naturam humanam *ſecundum ſe* præciſe, abſtrahendo ab alia quacumque hypotheſi referatur, non magis *malum*, quam *bonum*.

§. IV. Neque in fraudem te hic deducat, quod paſſim dici ſolet, *mendacium* ſuapte natura *rectæ rationi* adverſari. Nam id quidem veriſſimum eſt in præſenti *ſtatu*; ſed tota erras via, ſi hinc cogi putas, oportere illud etiam naturæ hominis *ſecundum ſe* ſpectatæ adverſari. Aliud quippe eſt *recta ratio*; aliud *natura* rationalis. Hæc per ſe meram vim & facultatem ratiocinandi importat, uti & cogitata animi externo ſermone manifeſtandi, ſive recte, ſive perperam id fiat; recta vero ratio rite jam conforma-

formatum dicit judicium, & ad aliquam rectitudinis normam exactum, quæ naturam in determinato aliquo *ſtatu* collocatam, & ad certum aliquem *finem* directam neceſſario ſupponunt, præter id, quod rationalis ſit; alias vero locum in ea habere minime poſſunt. Nam ſi illud judicium rite conformatum eſt, regulam aliquam exiſtere oportet, cui conforme ſit, & ex qua illius rectitudo æſtimetur: & cum regula ea ſeu norma eſſe non poſſit ipſa natura rationalis, utpote quæ ad recte vel ſecus judicandum ex ſe eſt indifferens, & capax utriusque, ad hæc ipſa illa ſit, quæ regulatur; neceſſe eſt eam normam eſſe quidpiam ab ipſa natura diſtinctum, eique extrinſecus ſuperadditum, *ſtatum* nempe aliquem & *finem*. Itaque cur defacto *mendacium* rectæ rationi adverſetur, cauſa eſt, quod adverſetur *ſtatui*, in quo natura humana reapſe eſt conſtituta, & *fini* ad quem eſt ordinata; non vero quod naturæ humanæ *ſecundum ſe* repugnet, cuiusmodi repugnantiam *mendacio* ineſſe nullam vidimus.

§. V. Quæres hic tu cupide ex me, ecquis ſit ille ſtatus & finis, vi cuius *mendacium* eam cum natura humana difformitatem acquirat aliaque memorata in eo conſequantur? Mirum vero, ſi, qui magiſter in Iſraël videri vis, hoc ignores; quod neminem in palæſtra hac vel mediocriter exercitatum neſcire par eſt. Sed nulla mihi occaſio prætereunda eſt ſcientia te augendi, cuius bono hæc ſcribo. Aio itaque

ſtatu

ſtatum illum *ſocialitatis* eſſe ſtatum; *finem* vero *felicitatem naturæ rationali propriam.* Quod quidem dum aſſero, cave exiſtimes, me hic *ſocialitatem* cum Puffendorffio, ceu univerſale juris naturalis principium ſtatuere. Non ſuppeditat ratio, controverſia hac me in præſentiarum implicandi, aut id aſſerendi. Reſpectu *mendacii* dumtaxat id contendo, quod tu non difficile mihi es daturus; eo magis, quod *finem* etiam naturæ præſentem, *felicitatem* ſcilicet illius propriam, *ſtatui* huic adiungo. Enucleare paulo rem juvat.

§. VI. Itaque quod *primum* hic conſiderandum eſt, *ſtatus* ille perinde ut *finis*, naturæ humanæ *ſecundum ſe* ſpectatæ prorſus eſt adſcititius. Neque enim clara diſtinctaque hominis idea alterutrum eorum neceſſario in ſe complectitur, & homo extra utrumque conſtitutus, perfecte concipi poteſt, quin de natura ſua ei decedat quidpiam. Adverte autem R. Pater, me hic de *ſocialitatis ſtatu* in ea acceptione loqui in qua jurisprudentiæ naturalis tractatores de eo agunt; non prout meram facultatem & aptitudinem vivendi cum aliis in Societate importat. Neque Corſinus aliique, dum *ſtatum* naturæ humanæ hoc potius modo quam alio conditæ, tamquam hypotheſim quamdam arbitrariam conſiderant, eo collineant, ut eam aptitudinem adſcititium quidpiam humanæ naturæ eſſe, aut ſine ea hominem condi potuiſſe velint innuere. Nullo modo; multo minus vero de rationalitate ipſa ita ſtatuerent.

Hæc

Hæc quippe intime homini insunt, ab eoque ne cogitando quidem removeri possunt. Ad *socialitatem actualem* aliaque quæ eius *statum* in præsenti comitantur, respiciunt, quæ cum nec essentiam illius constituant, nec ex ea necessario manent, sed extrinsecus illi adveniant, recte ceu præsens solum & accidentaria eius hypothesis assumuntur.

§. VII. *Alterum est*, quod cum hoc *socialitatis statu*, & supra dicto *fine*, *mendacium* necessariam & *intrinsecam* dicat disconvenientiam, quæ ex collatis invicem utriusque ideis eluceſcit. Falleris enim nimiopere R. Pater, si opinionis, quam hic tuemur, assertores tam infestos omnis *intrinsecæ* disconvenientiæ hostes esse existimas, ut nullam in actibus vel obiectis jure naturæ vetitis, independenter a voluntate DEI admittant. De *morali* solum disconvenientia ita statuunt; ceterum in *mendacio*, si cum *socialitate* comparetur, *intrinsecam* quamdam cum eodem repugnantiam ultro agnoscunt. Certe enim nemo *mentiri*, aliudque in animo gerere, aliud verbis, aut quibuslibet indiciis significare potest, quin hoc ipso *socialitati* eiusque officiis contraeat, *propriamque* naturæ humanæ *felicitatem* demoretur. Cum autem *status* hic & *finis* in præsens reapse naturæ humanæ (undecumque demum id ortum habeat, quod hic nondum inquirimus) sit annexus; hinc præsens etiam *mendacii* cum natura humana disconvenientia clare consequitur, eaque pariter *intrinseca*, qualis nempe

pe inter *mendacium* & *ſocialitatem* ipſam intercedit. Et cum inſuper vi huius *ſtatus* mens, utpote intime ſibi alius conſcia, veritatibus quibusdam & axiomatibus practicis imbuta ſit, quæ illius *ſtatus* officia jugiter ei inculcant; fit ut defacto *mendacium* rationibus etiam ſuis adverſari omnino experiatur, *intrinſecamque* quamdam *turpitudinem* ei ineſſe perſentiſcat. Quod tamen poſtremum quo pacto verum ſit, alibi declarabitur.

§. VIII. Nunc detrahe hunc *ſocialitatis ſtatum*, ac *felicitatis finem* naturæ humanæ, & extra utrumque, eorum officia conſtituram eam finge) uti revera conſtitutam poſt Hobbeſium finxit Spinoza) videbis ſane quam omnem a *mendacio* cum natura humana difformitatem, hactenus ſaltem, quoad mentienti id erit utile, vaneſcere. *Adiaphorum* perinde ac *veriloquium*, manebit, reſpectu eius *mendacium*, nec ratio reddi poterit, cur hoc præ illo oporteat ei eſſe difforme. Vaneſcent etiam illico omnes, quæ ad illius *ſtatus* & *finis* conſcientiam nunc menti inſunt de *turpitudine mendacii* notiones, nihiloque magis tum illud naturæ humanæ, aut rectæ rationi adverſari comperietur, quam nunc adverſetur fallacia, qua brutum aliquod circumvenimus, aut quis ſemetipſum contra mentem alloquitur. Non deſunt quidem, ſcio, qui minime defugientes *ſocialem* præſentis humanæ naturæ *ſtatum*, velint tamen licitum interdum mendacii uſum efficere, aut certe vehementer id cupiant: ſed viderint ipſi, an re-

ete ita concludant. Tuam cauſam juvare id in præſentiarum non poteſt, nec meæ officere; cui ſatis eſt oſtendiſſe, *mendacium* quamquam *intrinſecus turpe ac malum*, minime tamen naturæ humanæ *ſecundum ſe* ſpectatæ, ſed dumtaxat ut in hoc *ſtatu*, *ſocialitatis* nempe collocatæ, & ad *felicitatem ſibi propriam* ordinatæ, repugnare, quod volebam. At tertium jam promiſſi mei caput deducor.

Caput XII.

Eadem ſententia porro ſtabilitur, quatenus hac in re Divinæ voluntatis interventum agnoſcit.

§. I.

Quod præſenti capite probandum mihi ſumo R. Pater, eſt totius ſententiæ a te in Corlino reprehenſæ ſumma, in qua vertuntur omnia, nempe primam omnis *bonitatis & malitiæ moralis* originem quæ actibus quibusdam vel obiectis *intrinſecus* inhærere defacto concipitur, ab ipſa *Dei voluntate* eſſe repetendam; ſine hac vero nihil ſimile in iis fingi poſſe. Et puto id quidem ex dictis jam perſpicue colligi poſſe.

§. II. Quodſi enim natura humana ut vidimus *ex ſe* ſuisque *intrinſecis principiis ſocialis* non eſt, nec infallibiliter talis eſſe petit, neque etiam ad *felicitatem* creaturæ rationali propriam *ſecundum ſe* ordinatur; oportet profecto il-

lum ipſum *ſtatum* & *finem*, quum in illo reapſe ſe degere, ad hunc vero interna quadem vi ſe duci ſentiat, ei alterius cuiuspiam ordinatione & voluntate fuiſſe annexum, qui alius eſſe non poteſt, niſi Deus: Rurſus cum *mendacium* ut idem retineam exemplum, ratione *ſocialis ſtatus* dumtaxat, illiusque *finis intrinſecam* illam cum natura hnmana dicat diffor-mitatem, ut pariter probatum eſt; ſequitur profecto, difformitatis illius cum natura humana fontem primum ſtatuendum eſſe eamdem *Dei voluntatem*, qui libere hominem in eo ſtatu condiderit, ad eumque finem ordinaverit, quibus dumtaxat ſuppoſitis *mendacium* naturæ humanæ ſit difforme. Denique cum ex *intrinſeca* illa *mendacii* cum natura humana difformitate & diſconvenientia omnis, quæ illi ineſt *intrinſeca* pariter *malitia* & *turpitudo* enaſcatur, modo tamen infra explicando; prorſus conficitur, eiusdem *malitiæ* & *turpitudinis* originem a *Dei voluntate ſic potius quam aliter* hominem conſtituentis, *ad hunc potius quam alium finem* ordinantis, eſſe derivandam.

§. III. Neque hic tu mihi R. Pater obſtrepe, id quidem de *malitia formali mendacii* recte dici, non item de *fundamentali* & *radicali* de qua tamen ſola tibi cum Corſino lis ſit, quæque in antcceſſum, nullo ſuppoſito voluntatis Divinæ actu in *mendacio* ſe exerat. Nam etſi (ut quod res eſt fatear) hanc diſtinctionem duplicis *moralis malitiæ*, neſcio a quibus diribitori-

toribus procuſam, ceu ſuperfluam ac inutilem hic repudiare poſſem, neque enim ea etiam Corſinus uſus eſt, & eius inanitas ex dicendis poſtpaulo patebit; uſurpabo tamen eam tantiſper tui tuorumque, qui ei innutriti ſunt gratia: ſed contendo, quod, ſi ea adopterur, duplex itidem in Deo voluntatis actus ſit diſtinguendus; *unus* quidem, quo Deus naturam humanam in *ſocialitatis ſtatu potius quam alio* conſtituere, *ad hunc potius quam alium finem* ordinare decrevit; *alter* vero, quo eidem naturæ ſic conſtitutæ uſu eorum omnium, quæ *ſtatui* huic & *fini* adverſarentur, adeoque & *mendacio* interdixit. Ex poſteriore hoc voluntatis actu exſurgit *formalis* in *mendacio malitia*; ex priore vero *radicalis*. Unde abſtrahendo ab illo poſteriore, quo *mendacium* prohibuiſſe concipitur, intelligitur quidem jam prævia quædam *radicalis* in *mendacio malitia*: at eadem tamen ſine priore illo, quo naturam humanam *ſocialem* eſſe voluit, minime habetur. Cum enim ut ſæpius jam inculcatum eſt, tota *radicalis* illius *malitiæ* ratio in diſconvenientia cum natura humana quatenus *ſociali* ſit ſita, ipſa autem non *ex ſe*, ſed *Numinis voluntate ſocialis* ſit: liquet profecto *mendacium* ne *radicaliter* quidem *malum*, niſi *voluntate Dei* eſſe poſſe.

§. IV. At milium me hic terebrare dicet quiſpiam; & inani opera duos Divinæ voluntatis actus diſtinguere, quum tamen omnino ſit unicus. Per me licet cuique ita exiſtimare,

nec difficilem me habebit ſententiæ ſuæ ſuffragatorem. Nam revera ſimplex quid & uniforme, etiam pro intelligentiæ noſtræ modo hic intercedere videtur, non vero aliud ex alio conſequi. Quo enim actu Deus ſtatum naturæ humanæ in hoc rerum ordine *ſocialem* eſſe voluit, in eiusque officia hominem obligare, quo item *felicitatem naturæ eius propriam* ceu *finem* ei præſtituit, eodem etiam velle debuit ei illa omnia, quæ *ſtatum* hunc peſſumdarent, *finique* eius officerent, prohibere, adeoque & *mendacium*: alioqui volendo illud prius, nec tamen prohibendo *mendacium*, Deus vel maxime disiuncta & contraria voluiſſet repugnante ſapientia ſua; vel *ſtatum* naturæ humanæ *ſocialem* eſſe efficaciter haud decreviſſet, contra quam in noſtra hypotheſi ſupponatur.

§. V. Hæc ergo ſi ita ſint, ut eſſe cordatus quisque conſideratusque fateri debet, manifeſta fit, quam ſupra obiter inſinuavi, diſtinctionis illius duplicis *malitiæ* in *mendacio* vanitas, cum una eademque utriusque ſit cauſa; nempe ea *voluntas Dei*, qua is naturam humanam in *ſocialitatis ſtatu potius quam alio* condere, & *ad felicitatem ei propriam potius quam alium finem* eam ordinare decrevit. Hoc ſolo enim voluntatis Divinæ actu præcepto, intelligitur jam vtraque prætexta in *mendacio malitia*, *radicalis* nempe & *formalis*; neutra vero, ſi is minime præcipiatur, quod quidem luculentum indentitatis utriusque eſſe videtur argumentum.

§. VI.

§. VI. Quodſi cui illum ipſum Divinæ voluntatis actum, quod Deus hominem *ſocialis* naturæ condere voluit, *felicitatemque eius propriam ceu finem* ei præſtituit, in duos partiri libeat, ita ut alias fuerit quo naturæ eius eum *ſtatum* ac *finem* mere *phyſice* adiunxerit, relinquendo interea in liberrima hominis poteſtate illius officia; alius vero, quo his officiis eum *moraliter* obligarit, non refragabor; ſed iterum nullo tuo commodo id R. Pater fiet. Nam tum ex primo illo actu ut nulla *moralis bonitas* in *veriloquio*, ira nec *malitia in mendacio* conſequens intelligi poterit, ſed ex altero dumtaxat. Perinde ac nulla nunc intelligi poteſt, ſive quis barbam radat, ſive nutriat; ſive ungues reſecet, ſive excreſcere ſinat, ex eo præciſe, quod barbam & ungues corpori humano Deus adiunxerit; intelligeretur autem, ſi utraque nutrire præcepiſſet.

§. VII. Sed utcumque ea res ſe habeat, etiamſi reſpectu duplicis illius in *mendacio* aſſertæ *malitiæ*, duplex voluntatis Divinæ actus diſtinguendus ſit; illud quidem extra controverſiam eſſe debere puto, eum actum, quo Deus *mendacium* prohibuit, ex altero quo naturam humanam *ſocialem* eſſe decrevit, & ad *felicitatem ſibi propriam* ordinavit, neceſſario conſequi, neque hoc conſtante integrum Deo jam eſſe vel fuiſſe *mendacium* non prohibere. Eſt hæc neceſſitas quædam *hypothetica* ut vocant, non *abſoluta*, quæ cum libere per prio-

rem actum, naturæ ſic potius et non aliter condendæ inducta ſit, perfectioni Divinæ nihil derogat, ut plurimis exemplis in Theologia oſtendi ſolet.

§. VIII. Sed non hoc in præſenti agimus. Quod hinc elicitur, illud eſt, quonam ſenſu *mendacium* neceſſario ac invariabiliter malum & prohibitum dici poſſit ac debeat, nempe neceſſitate itidem *hypothetica* ac *conſequente*, non *antecedente* & *abſoluta*. Neque enim maior *malitiæ* illius & prohibitionis eſſe poteſt neceſſitas, quam ſit difformitatis cum natura, quæ pariter eſt ſolum *hypothetica*. Perſpicua etiam egregie hinc fit ea, quæ inter *legis æternæ & poſitivæ* obiecta intercedit differentia. Illa quippe quæ *legis poſitivæ* ſunt ſolum, undecumque Deo ſunt libera; & ne quidem ad *ſtatum finemque* hominis, ut nunc ſunt conſtituta, neceſſario conſequuntur. At quæ *legi æteruæ* ſubiiciuntur, uti præter alia eſt *mendacium*, etiam, ſi ponantur abſolute Deo eſſe libera, ex hypotheſi tamen naturæ in hoc rerum ordine conſtitutæ, intelliguntur prorſus neceſſaria, ceu quæ *intrinſecam* cum taliter conſtituta & ordinata natura dicant repugnantiam.

§. IX. Denique & illud illuſtrem hinc intellectum accipit quomodo *mendacium* aliaque obiecta vel actus *jure naturæ* prohibiti idcirco dici ſoleant prohibiti, quia mali ſunt; alii e contrario, ideo mali, quia prohibiti. Nempe

quod

quod ad prius illud ſpectat, id ſolum ex doctrina S. Thomæ 1. 2. q. 71. a. 6. ad 4. locum habet attenta ratione *juris poſitivi*, cuius prohibitio quatenus ſupervenit aliunde jam prohibitis jure naturæ, eorum malitiam non efficit, ſed ſupponit. At vero reſpectu *juris naturalis*, aut *legis æternæ* falſa eſt in actibus ea lege prohibitis aſſertio. Neque enim prohibitio *legis æternæ* ullam in talibus actibus vel eorum obiectis præviam requirit *moralem malitiam*, ſed eam potius infert, ut proinde *mendacium* non alia ratione etiam *radicaliter* ſolum *malum* dici poſſit, quam quia *lege æterna* Dei ſit prohibitum. Ex qua quidem S. Thomæ doctrina παραφραϛικῶς hic expoſita plane revincor, eius mentem minime aſſecutos videri, qui vulgarem ſcholaſticorum ſententiam *de actibus per ſe turpibus aut honeſtis* ſecluſo omni *voluntatis Divinæ* decreto, ſanctiſſimo huic Doctori attribuunt.

§. X. Ceterum ut illius falſitas tribus omnino capitibus demonſtrata, uno conſpectu veluti in tabula hic cerni poſſit, en totius ratiocinii ſummam, ad tuam hypotheſim ex ſoritæ legibus accommodatam:

Mendacium *formaliter malum* eſt, quia eſt a Deo per *legem æternam* prohibitum.

Ideo eſt per *legem æternam* a Deo prohibitum, quia *radicaliter* in ſe *malum* eſt ac *turpe*.

Malum & turpe non alia ratione eſt, quam quia *per ſe* humanæ naturæ diſconvenit.

Diſconvenit naturæ humanæ, quatenus *ſociali.*
Natura humana *ſocialis* eſt per *Dei voluntatem.*
Igitur mendacium cum *formaliter*, tum *radicaliter malum* eſt *per Dei voluntatem.*

Caput XIII.

Iterum ſtabilitur, ſimulque oſtenditur ſine voluntate Dei impoſſibilem eſſe quamcumque moralem in quibuscumque actibus malitiam.

§. I.

Dicta a me hactenus, minime quidem dubia fortaſſe inquies; ſed nedum tibi, verum etiam aliis opinionis tuæ adſtipulatoribus multo ante cognita, ut neceſſe non fuerit eadem te rurſus edoceri. Ita vero nonnulli loqui amant, ubi argumentorum vi ſe ab adverſario concluſos ſenſerint, ut neſciant, quo evadant; maluntque glorioſe mentiri, quam videri quidpiam ignoraſſe. Verum etſi dum hæc te haud ignoraſſe, quid mirum? cum ipſe Corſinus loc. cit. Cap. 4. num. 5. minime diſſimulet, ultroque fateatur, utramque opinionem, ſuam ſcilicet, & illam Grotii oppoſitam, *ſi res accuratius expendatur mirifice conſentire, ac ſolo nomine vel explicandi modo differre.* At ſi hoc tibi certum perſuaſumque erat R. Pater, nedum *ſapere*, ſed & *fari* te recto oportebat; nec Corſino idcirco conviciari, quod is obiecto-

ctorum & actuum *jure naturæ* vetitorum *malitiam* ab ipsa hominis natura *secundum se* oriri negasset, totumque id ad præsentem, in quo versatur *statum*, *Deique voluntatem* retulisset.

§. II. Sed quidquid sit, in plus aliquid hic fidem meam obligo, unde controversiam hanc confectum omnino iri, nisi spes me fallit confido. Ostendere nimirum est animus, nulla ratione fieri posse, ut cuipiam actui *jure naturæ* vetito v. g. *mendacio* ulla *moralis* insit *malitia*, nisi Deus aliquis existere, voluntateque sua moderari omnia intelligatur. Neque acta jam iterum hic acturus sum. Non enim in eo jam elaborabo, ut *moralem mendacii malitiam* defacto *a Dei voluntate* pendere, sed ut sine hac ne quidem aliqua ratione posse consistere efficiam. Jugulum procul dubio hæc thesis petet adversariorum, apud quos nihil magis decantatum, quam *in obiectis & actibus intrinsece malis locum aliquem turpitudini & malitiæ morali fore, etiamsi daretur, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab eo negotia humana.* Nihil minus vere dici potest. Non me hic terrent grandia illa nomina, quorum autoritate opinio hæc firma ac tuta putatur. Si rationes superent, satis est, ut contemnatur. Rem itaque non levi dumtaxat ut aiunt brachio, sed de industria aggrediamur,

§. III. Tamquam præiudicatum vero, & probatum jam hic pono, *mendacium* naturæ

humanæ aliter non adverſari, niſi quatenus hæc *ſocialis* eſt, & ad *felicltatem totius naturæ propriam* ceu *finem* ordinata. Ne tamen ut ſæpe fit, de principio invicem digladiemur, atque ita in limine hæreamus, finge, licet, alium quemvis *ſtatum & finem*, ratione cuius hæc *mendacii* cum natura humana diſformitas conſtet, modo ut ne ſimile quid ſtatuas, quod in idea naturæ humanæ ſecundum ſe ſpectatæ contineatur, & ob rationes ſupra allatas, huius loci eſſe non poſſit. Aliud quidvis adſtruas licet, nihil idcirco theſis noſtra nutabit. Interim ne indefinite loqui ſemper cogamur, da mihi id vel gratuito, *ſtatum* illum, *ſocialitatis ſtatum* eſſe, *finem* vero *felicitatem naturæ humanæ propriam.* Oportebit itaque eam, quæ ratione huius *ſtatus & finis mendacio* ineſt cum natura humana, diſformitatem radicem eſſe, unde tota illa intrinſeca eſſentialisque *mendacii malitia* enaſcatur. Ita quidem nos ipſi ſupra haud obſcure ſignificavimus. Sed quando, quo ſenſu id dici & ſuſtineri queat, alio nos revocavimus, promiſſum hic loci exſolvemus.

§. IV. Itaque dum diſformitas illa origo & cauſa *radicalis malitiæ mendacii* eſſe dicitur, ſenſus non eſt, diſformitatem hanc ſecundum ſe ſpectatam, *malitiam* illam efficere, ita ut *mendacium moraliter radicaliter malum* nihilominus futurum ſit, etiamſi dempto omni alio, ſola natura humana *ſocialis* cum ſuo fine cogitetur: ſed id dumtaxat in præſenti rerum or-

dine

dine locum habet, in quo difformitas hæc *mendacii* cum natura humana non qualiscumque eſt, ſed *moralis*. Porro hæc ſola difformitas apta eſt & idonea *malitiam moralem* inducere. Nam cum omnis *malitiæ* ratio in privatione aliqua aut difformitate ſita ſit, aut certe eam ſibi inſolubili nexu adiunctam habeat, neceſſe profecto eſt, eiusdem generis ac ordinis eſſe privationem illam & difformitatem, cuius eſſe debet *malitia*; nec difformitas mere *phyſica* utpote toto genere diverſa, ullo modo in obiecto aliquo vel actu, *malitiam moralem* poteſt efficere.

§. V. Cauſa autem, cur præſens, quæ inter *mendacium* & naturam humanam reperitur difformitas, revera *moralis* ſit, non mere *phyſica*, alia profecto non eſt, nec eſſe poteſt, quam quod *ſtatus* ille & *finis*, vi cuius *mendacium* naturæ humanæ defacto difforme redditur, *ſupremi Numinis voluntate* ita homini ſit adiunctus, ut is *ſocialitatis* officiis & mediis ad *felicitatem naturæ* tuendam neceſſariis utendi vel non utendi, eisque contraveniendi *phyſicam* quidem habeat facultatem, minime tamen *moralem*, ſed iis uti, minimeque contravenire ita jubente Deo teneatur. Paradoxum, inquies, dictum! Quid ergo, ſi fingamus naturam humanam ad *ſocialitatis* officia obeunda *lege Divina* haud eſſe adſtrictam, vel nullum omnino Deum exiſtere, nulla inter *mendacium* & naturam humanam erit difformitas? imo erit R. Pater, ſi

ea nihilominus *ſocialis* fore ponatur; at alia prorſus quam moralis.

§. VI. Ut res exacte enucleetur, cogitemus hominem ſocialem in ea hypotheſi conſtitutum, Videbit is profecto nativa ingenii ſui luce, mutuam inter *mendacium & ſocialitatem* repugnantiam; ſed *phyſicam* ſolum aut *metaphyſicam*, qualis nempe inter earum rerum ideas reperitur. Intelliget quoque perſpicue *mendacii* cum natura ſua difformitatem, ſi *ſocialem* ſe eſſe meminerit; ſed hanc iterum non aliam quam *phyſicam*, cuiusmodi eſt e. g. quam linea curva cum recta dicit; *moralis* difformitatis nullum hic ſe prodet indicium: aliunde vero inter obiecta ipſa quomodocumque pugnantia nulla *moralis* difformitas intercedere fingi poteſt, ſed inter ſolos actus, eosque ad naturam comparatos. Ut autem actus *mendacii moraliter* difformis naturæ humanæ in ea hypotheſi intelligi poſſet, oporteret *ſocialitatis ſtatum* a ſuperiore aliquo principio homini *moraliter* fuiſſe adiunctum, hoc eſt cum phyſica quidem illius officiis fungendi vel non fungendi libertate, & nihilominus cum debito illis fungendi: ſicut tum demum *moralis* aliqua difformitas in deſcriptione lineæ curvæ conciperetur, ſi deſcribendæ rectæ obligatio in homine adeſſet.

§. VII. Ad nullo exiſtente Numine, quis hominem ſuapte natura ad *ſocialitatis* officia ſervanda vel violanda, *veraciter loquendum* vel *mentiendum* indifferentem, lege *ſocialitatis*, &

veridici ſermonis obligaret? Non ipſe ſe certe, nec alius ei ſimilis homo, quia par parem nequit obligare. Non etiam princeps aliquis aut res publica, quia quæ hodie reſpectu privatorum in his reſidet poteſtas, non eſt niſi a Deo, qui tum, ut ſupponitur nullus foret, vel ſaltem humana nil curaret. Quid quod principe ſaltem ipſo, totaque republica nullus tum exiſteret ſuperior, qui iisdem ipſis, ne privatos fallerent poſſet imperare, adeoque in his ut minimum nullam *mendacium* cum natura diceret *moralem* difformitatem, nec *mentiri* his *turpe* foret. Atqui quæ *intrinſece* & *jure naturæ* abſolute turpia ſunt & inhoneſta, in omnibus ſingulisque ſocietatis humanæ membris, non aliquibus dumtaxat turpia eſſe debent.

§. VIII. Sed conditio ipſa naturæ humanæ inquies, utpote ſibi ipſi minime ſufficientis, alienæque opis indigæ; amor propriæ felicitatis, quæ ſine mutuis *ſocialitatis* officiis obtineri haud poſſet, debitum quoddam etiam in ea hypotheſi cum privato cuique, tum principi imponerent, *ſocialitatis* officiorum ſervandorum, minimeque, ut *mentiendo* fieret, violandorum. Agnoſco ultro, omnia hæc etiam tum locum habitura: ſed debitum proprie tale, obligationemque aut vinculum juris nullum hic adhuc pervideo. Neceſſitas quædam *moralis hypothetica* dumtaxat ſe tunc horum exſereret in homine, ſi is nempe felix vere eſſe vellet. At ut vellet, vel velle deberet, quis eum obligaret? Amor

pro-

proprius? verum cum amor hic nedum *ſui* ſed & *ſuus* foret, eam vim non haberet; & ut naturæ is maxime eſſet inſitus, liberam tamen omnino in homine ei obſequendi vel contraveniendi, diſſentaneaque *felicitati naturæ* agendi relinqueret facultatem.

§. IX. Sed imprudentiæ maximæ foret ei contravenire. Vix adducor ut aſſentiar, cum imprudentia jam aliquam a regula dicat aberrationem. Aſſentiar tamen; at nego, pernegoque diſformitatem aliquam *moralem*, aut *malitiam* hinc proventuram: niſi quis forte *moralem* etiam *malitiam* deprehendere ſibi videatur in eo, qui Herculis cothurnos aptaret infanti, aut parvo pedi magnum induceret calceum. Atqui hunc Ageſilaus apud Plutarchum in Apophtegmatibus non *bonum hominem* aut *civem*, ſed *bonum* dumtaxat *cerdonem* fore negavit.

§. X. Recte inquies. Nam hic nihil admiſſurus eſſet, quod naturæ bono amorique ſibi debito officeret. Admiſſurus vero multo maxime eſſet is, qui violando *ſocialitatis* officia ſe ipſum redderet infelicem. Vide R. Pater, quam liberaliter tecum agam, effugiendique mihi rationes, tibi ipſe ſuppeditem. At non elaberis, etiamſi anguilla ſis, aut plane *tortu multiplicabili draco*. Nam & pueri bono quadamtenus id officeret, ſi giganteis calceis ingredi cogeretur; *inhoneſtum* vero & *turpe* non eapropter futurum non eſſet, quod id amori proprio non refragaretur; ſed quod non refragaretur

garetur amori, quem sibi debeat, ut etiam molestiam omnem in incessu teneatur devitare: cuiusmodi amori etiam in nostra hypothesi, solum locus esset respectu *propriæ felicitatis* procurandæ, si nullum superius homine ens existeret, quod amorem illum ei imperaret, & in diversum niti prohiberet.

§. XI. Neque hic tu te mihi iterum medium inferas, distinctionemque illam *malitiæ* duplicis obtrudas, quasi *formalis* tum jam *mendacii* futura esset *malitia*, si eiusmodi prohibitio aliqua & lex supremi entis intelligeretur; *radicali* vero in antecessum jam locum fore, ut quæ in eo sita sit, quod mendacium essentialiter exigat prohiberi. Tædet crambem recoquere, & vanitatem distinctionis huius iterum demonstrare. Sed dabo id tibi etiam hic, ut ea munitione tutus esse possis. Verum edici mihi a te peto, quidnam illud tum futurum esset, ratione cuius *essentialiter mendacium* exigeret prohiberi? Ad difformitatem quidem illius cum natura rationali, *amore* sibi debito, *fine*, provocare te jam par non est, cum intra *physicos* limites, aut imprudentiæ quidem, minime tamen *turpis & inhonestæ* tota ea difformitas esset constitura, nec adeo abnormis futura, ut *essentialiter* exigeret prohiberi. Deinde dic sodes, a quonam *mendacium* in eo statu exigeret prohiberi? Jam nulla istiusmodi exigentia hic cogitari potest, ut manifesta etiam repugnantia huius exigentiæ mox menti occurrat, eo quod nullum superius homine

ens

ens ſeu Numen in eo rerum ordine exiſteret, quale tamen exigentia hæc neceſſario ſupponit. Ut enim prohiberi quidpiam, ita & exigere prohiberi, niſi a ſuperiore non poteſt.

§. XII. Denique ut dici poſſet *mendacium* tunc eam exigentiam habiturum, oporteret oppoſitam in *veriloquio*, aliisque *ſocialitatis* actibus exigentiam reperiri, cuiusmodi tamen tunc æque nulla poſſet concipi, nec unde manaret, apparet. Nam quod homo *ſocialis* naturæ etiam tum foret, id in *ſocialitatis* actibus nullam idcirco exigentiam efficeret, per quam *eſſentialiter* peterent præcipi; ſicut nec defacto aliqua eiusmodi exigentia efficitur in *coniugio* per hoc ſolum, quod natura humana in hoc rerum ordine per *coniugium* propagetur, in ſuique propagationem ferri videatur. Cuius quidem utriusque alia profecto cauſa non eſt, quam quod ſicut nunc *coniugium* non eſt ſingulis, ita tunc *ſocialitas* nemini foret præcepta, nec ulla intelligeretur ratio, vi cuius neceſſario peteret præcipi. Sed ſatis de his, ſuperque.

§. XIII. Illud obiter hic adnotaſſe juverit, non incongrua hæc fore fortaſſe, ſi ab origine cauſisque primis repetantur, ad confirmandam contra atheos ſupremi alicuius Numinis in hoc rerum ordine exiſtentiam; dummodo ii tam impudentes non ſint, ut nedum imprudentiam aliquam, ſed etiam *moralem turpitudinem* in cer-

certis quibusdam actibus ceteroqui atrociſſimis, e. g. homicidii, ſodomiæ &c. defacto reperiri fateantur.

CAPUT XIV.

Dicta priorum capitum blaſphemiæ & odio Dei accommodantur.

§. I.

Non dubito R. Pater, quin lectis prioribus capitibus, doctrinaque in iis ſatis diffuſe tradita, tacite mihi indignaturus ſis, quod de *mendacio* tam diſertus, de *odio Dei* & *blasphemia* ne unum quidem verbum fecerim, itaque *excuſſo veluti naſo ſuſpendere* te voluerim, leviora gnaviter perſequens, diſſimulans vero ea, de quibus maxima, quæ in hac quæſtione moveri poteſt, eſt difficultas. Sed dabis haud dubie te ad quietem, ubi me cum *odio* quoque *Dei* & *blasphemia* hic in aciem procedentem videris.

§. II. Ut itaque rem in pauca conferam, aio, id quod de *mendacio* a me modo dictum eſt, de *odio* quoque *Dei* & *blasphemia* ſtatuendum, nimirum nec hæc ſuapte natura & ſecluſa *voluntate Dei*, in quacumque arbitraria hypotheſi *moraliter mala* ullatenus eſſe, ſed hanc eorum *malitiam* itidem oriri a natura humana *ſic & non aliter* a Deo conſtituta, conſequenter ab ipſa *Dei voluntate*. Durum id auribus nedum tuis, ſed aliorum etiam fortaſſe acci-

dere poſſit, quia peregrinum. Nati nempe & educati a pueris in eo rerum ordine, in quo *odio Dei* ac *blasphemiæ* neceſſaria, eaque maxima quæ cogitari poteſt, ineſt *malitia* ac *turpitudo*, difficulter ſtatus huius præiudicia deponimus, & ut data quacumque hypotheſi mala non eſſe potuerint, vix ac ne vix quidem inducimur ut credamus. Sed qui penitius rem ſcrutari voluerit, haud ægre verum deprehendet. Tu ipſe R. Pater, ita ſpondeo (ſi animum affectibus purgatum ad hæc rimanda attuleris, & ex eorum non es numero, quos indicavit Lactantius Libr. 5. Inſt. Divin. cap. 20. qui nempe *errare malunt, & eam ſententiam, quam adamarunt, pervicaciſſime defendere, quam ſine pertinacia, quid conſtantiſſime dicatur, exquirere*) non invitus in opinionem noſtram deſcendes.

§. III. Ac illud quidem primum iterum hic monendus, & ut fateare compellendus es, originem *moralis* illius, quæ *odio Dei* ac *blasphemiæ intrinſece* inhæret *malitiæ*, repeti haud poſſe a diſconvenientia aut difformitate aliqua, quam ii actus dicant cum natura humana *ſecundum ſe*, ſuaque eſſentialia *principia* ac *proprietates* extra omnem hypotheſim ſpectata. Nam eiusmodi difformitas in *odio Dei* & *blasphemia* æque nulla eſt, ac in *mendacio;* imo ut de hoc Cap. XI. dicebamus maxima potius in his, ſi cum natura ſic ſpectata conferantur, convenientia reperitur. Non minus enim actus *odii* & *blasphemiæ* rationale ſubiectum requirit,

rit, quam requirat *mendacium*, nec minus utriusque nisi natura rationalis capax esse potest. Quodsi aliqua inter naturam humanam in statu essentiæ, & *odium Dei* vel *blasphemiam* intercederet difformitas; eadem quoque in *amore Dei* deberet intelligi, cum *Dei odium* aut *blasphemia* non magis naturæ sic spectatæ esse possit difforme, quam *amor*, utpote uterque actus eius, quorum illa æquabilem habet potestatem. Imo etiamsi daretur, revera *odio Dei* aut *blasphemiæ* aliquam respectu naturæ humanæ *secundum se* spectatæ inesse difformitatem; quum tamen *status* ille, in quo hæc contemplatio naturæ fieret, mere esset *physicus* sive *metaphysicus*, non alia etiam quam *physica* vel *metaphysica* in illis actibus fingi posset difformitas, adeoque & *malitia*, siquidem eiusdem generis ordinisque debeat esse utrumque. Sed hoc necesse non est ut magnopere nos torqueat, cum ut dictum, difformitas cum natura humana *secundum se* spectata, *odio Dei* aut *blasphemiæ* præ *amore*, nulla insit. Luculente hæc supra in *veriloquio* & *mendacio* sunt demonstrata; uti & illud, nullum in ea consideratione naturæ, repugnantiæ cuipiam cum recta ratione locum esse, propterea quod, quæ eo nomine veniunt practicæ veritates, statum aliquem & hypothesim *moralem* naturæ jam supponant.

§. IV. Duo tamen sunt, quæ scrupulum aliquem hic tibi R. Pater iniicere possent, aut minus evidentem reddere hanc doctrinam.

Alterum, quod nativa quædam neceſſariaque *blasphemiæ* & *odio Dei* cum eiusdem *amore* inſit repugnantia; *alterum*, quod Deo ut *odio habeatur*, nomenque eius *blasphemetur* repugnare videantur. Sed neutrum te morari debet. Nam quod ad *prius* illud attinet, fateor neceſſariam prorſus eſſe, invariabilemque illam inter *blasphemiam odiumque Dei*, & *amorem* repugnantiam, nec congruere hæc invicem ulla ratione poſſe. At repugnantia illa non alia eſt quam *phyſica*, ſive actus ipſos inter ſe, ſive eorum obiecta compares. Unde quidem conſequitur, non poſſe hominem eodem actu Deum & *odiſſe* & *amare*, vel utrumque actum ſimul coniungere; non tamen efficitur propterea *actum odii* præ illo *amoris* naturæ humanæ ſecundum ſe adverſari. Ut aliqua hic intelligi poſſet repugnantia, oporteret naturam humanam aut eius rationalem potentiam ad alterum potius extremorum, puta *actum amoris Dei*, vel *blasphemiæ*, quomodo demum cumque determinatam concipere. Et quando ita, determinatio hæc vel *phyſica* eſſe deberet, vel *moralis*. Si *phyſica*, neceſſarioque naturæ cognata, nemo non videt, *amorem Dei tunc* liberum homini haud fore, ſed prorſus neceſſarium tum neceſſitate *ſpeciei*, tum etiam *exercitii* ut loquuntur Scholaſtici: nec proinde in eo caſu opis humanæ eſſet *Deum odiſſe*, uti nec nunc eſt fungi iis actibus, qui rationalitati eius e diametro ſunt oppoſiti; nullus adeo *morali malitiæ* locus foret.

ret. Sin autem determinatio aliqua *moralis* ad *Dei amorem* in natura tunc futura cogitetur, hæc propriori aliquam importare deberet regulam a natura ipsa, quæ regularetur distinctam, & insuper ea superiorem; cuiusmodi tamen nulla in ea hypothesi naturæ *secundum se* spectatæ succurreret. Nam quæ ab ipsa voluntate hominis facta forte hic fingi posset determinatio, inanis esset, nec idonea homini utrumque ad *amorem* adstringendo, cum per eum ipsum staret, determinarine vellet, an non.

§. V. Quod ad *alterum* attinet, illud quidem denuo fateor, maximam inter *odium Dei blasphemiamque*, ac ipsum Deum reperiri repugnantiam, sed quæ huc æque non faciat, ac prior. Non enim hic quid Deo quoquomodo repugnet, vel in nostra etiam consideratione naturæ, repugnaturum esset, exquiritur; sed quid ipsi naturæ, ita ut *turpitudinis* cuiusdam *moralis* rationem respectu eius induceret. Hoc vero tamquam rem omnino certam & indubiam ex illo præcise velle colligere, non est ingenii satis exercitati & subacti. Nam quid? si Deus ceu ens summe bonum, summe perfectum, uti revera est, cogitetur, omnisque nævi & defectus expers, cui adeo nihil alicuius vitii aut imperfectionis affingi possit, nihil in eo *odio haberi*; si quis tamen minus cordatus istiusmodi aliquid ei affingat, vel in eo *odio* habeat, idcircone turpe aliquod facinus est admissurus? Non credo R. Pater,

niſi argumentis omni luce clarioribus id oſtendas. Ad ſummum imprudentiæ cuiuspiam, addo & temeritatis, ſed clementiſſimæ notam is ſubibit; quam tamen nec effugiet, qui ut eſt in proverbio aquam igni miſceat, aut

— — Jungat vulpes & mulgeat hircos.

§. VI. Noli autem R. Pater dum ita de *odio Dei* & *blaſphemia* exiſtimo, *blaſphemum* ipſum me hic forte ſuſpicari, & impie ludentem. Nam etſi alioqui plane non parcum in hoc crimine imponendo aliis te eſſe ſciam, ut qui §. tuo 48. ob violatum *probabiliſmi* numen Corſinum etiam rerum illius poſtules; hic tamen ſimile nil exſculpas. Neque enim de præſenti rerum ordine ita ſtatuo, quaſi ſi nulla maior labes nunc quoque *odio Dei* inſit aut *blaſphemiæ*, quam imprudentiæ; neutiquam. Scio nefarium, imo immaniſſimum omnium crimen eſſe, *iniquitatem in excelſo loqui, & ponere in cœlum os ſuum.* Non fore autem ullum pro eo dumtaxat rerum *ſtatu* contendo, in quo non eidem ordini qui nunc eſt & hypotheſi, ſed ſoli conſiderationi naturæ humanæ *ſecundum ſe* ſine omni ad Deum reſpectu locus eſſet. Si porro ex me quæras, quisnam ille ſit ordo, quæ præſens hypotheſis, quæ nunc in *odio Dei* & *blaſphemia* id efficiat, ut ii actus ultra modum & notam meræ imprudentiæ in graviſſimum ſcelus aſſurgant? paucis reſpondebo, non eſſe quidem eamdem, quæ eſt reſpectu *mendacii*, nempe *ſocialitatis* hypotheſim. Neque enim *odio Dei* aut *blaſphemiæ*

ea

ea cum *ſocialitate* ineſt repugnantia, quæ ineſt *mendacio*; quam ob rem etiam Puffendorffius, qui *ſocialitatem* pro principio univerſali jurisprudentiæ naturalis poſuit, officia hominis erga Deum ab ea excluſit. Sed eſſe tamen aio aliquam, illam ipſam nimirum, ex qua officia naturalia hominis erga Deum neceſſaria conſecutione deducuntur, quæque in eo ſita eſt, quod nedum Deus aliquis exiſtat, ab eoque homo ſit conditus, ſed etiam quantus quantus eſt, totus ab eo ceu *principio* ſuo & *fine* dependeat, *amorem* omnem ei debeat, quo Deus etiam præcipue ab eo ſe coli velit. Cum hoc enim ſtatu, hisque officiis tam *odium Dei* quam *blasphemia* neceſſariam & intrinſecam dicunt repugnantiam, ut *mendacium* cum *ſocialitate*, eamque turpitudinem reſpectu naturæ humanæ utpote in eo *ſtatu* poſitæ, induunt, ut eſſentialiter exigant prohiberi, vel certe eo ipſo actu, quo Deus *ſtatum* illum voluit, prohibita graviſſime intelligantur. Nam utrum horum nunc dicat, nil refert: nec enim duplicis illius *malitiæ radicalis* & *formalis* nos hic jam rationem habere decet. Vellem tamen, ut illarum alteram tu mihi in iis actibus indicares, ſi aut Deus nullus exiſtere, aut homo nihil omnino ab eo pendere fingeretur.

§. VIII. At inquies, huiusmodi hypotheſis prorſus eſt impoſſibilis. Toto capite annuo. Sed quidnam hinc tu cogere ſperas? Illud quidem recte, nimirum fieri etiam nullo modo

poſſe, neç potuiſſe, ut *odium Dei* aut *blaſphemia moraliter mala* non ſint, aut non fuerint; non vero quod ii actus malitiam ſuam ex na-natura humana *ſecundum ſe* ſpectata dumtaxat, ducant defacto. Nam revera eam ducunt ex *ſtatu*, in quo ipſa *Dei voluntate* eſt collocata, qui *ſtatus* reſpectu naturæ humanæ extrinſecus eſt, novamque hypotheſim continet, quæ in conſideratione naturæ *ſecundum ſe* non comprehenditur.

Caput XV.

Dilemmati Hoffmanni reſpondetur.

§. I.

Poſtquam ſententiam Corſini *de malitia & bonitate actuum intrinſeca* ſatis ſuperque, ut opinamur, ſtabilivimus, reſtat ut cornuto illi ſyllogiſmo tuo, quem unum Corſino abiicis, tamque magnifice & glorioſe jactas, reſpondeamus. Id vero eo promptius a nobis fiet, quo ex obſervatione Tullii, facilius eſſe ſcimus *falſa convincere quam vera invenire*. Non enim acquieſcimus Poëtæ monenti:

Fœnum habet in cornu, longe fuge;

ut idcirco cornupetæ congredi vereamur.

§. II. Itaque dum Corſino R. Pater inſtas quærendo, *num aliter conſtituta hominis natura odium Dei malum eſſet?* firmiſſime tibi perſuade, omnino non fore; non quidem natura quomodocumque aliter conſtituta, ſed ſi ea omnia ab-

abeſſent, ex quibus hominis erga Deum officia nunc dimanant. At quod tu hinc infers, *poſſibilem eſſe ſtatum aliquem naturæ rationalis, in quo odium Dei aut bonum ſit aut ſaltem indiffe-rens, ſine fuco ac fallaciis*, ut idem Tullius 1. ad Attic. inquit, *more maiorum negatur*. Nam quæ hæc, vel quibus in ſcholis auribus uſurpata umquam arguendi ratio: *Si in alio ſtatu conſtituta foret hominis natura, odium Dei non eſſet malum; ergo poſſibilis eſt ſtatus in quo odium Dei non ſit malum?* Similis plane huic, qua tu concludi poſſes: Si nulla daretur *lex æterna, odium Dei* non eſſet *formaliter malum* nec prohibitum, ergo poſſibilis eſt *ſtatus* naturæ rationalis, in quo *odium Dei* non ſit *formaliter malum*, nec prohibitum. Ridicule magis ratiocinari non queat, qui ex ortu ſolis ſitum baculi in angulo conetur efficere. Etſi machinas omnes ſophiſtices hic exſeras, totamque Euclides Megarenſis familiam ab orco in auxilium evoces, numquam id concludes. Puderet tam pueriliter peccare. Certe qui e Gallis veſtris Wratislaviæ Dialecticen docet, ita non ineptiret. Atqui ex tyronibus Logices Pragæ diſcere poteras, *conditionalium propoſitionum* eam naturam eſſe, ut neceſſe non ſit utramque vel etiam alterutram earum partem abſolute in ſe veram exiſtere, aut veram eſſe poſſe; ſatis fore, ſi una ex altera conſequatur, veraque ſit aut eſſe poſſit *conditionate* ſolum, ſi nempe & altera illa, unde poſterior conſequitur, ſit talis. At ubinam Corſinum aſſerentem

legeras, possibilem esse *statum* naturæ humanæ, in quo homo a Deo prorsus non pendeat, nec iis officiis sit locus, quibus nunc jure naturæ iis obstringitur? Vel ex quibus verbis hanc mentis eius sententiam extundere poteras?

§. III. An tibi illuserunt eius verba Cap. 4. num. 5. ubi inter alia asserit, *a sola libera Dei voluntate pendere, quod homo hanc indolem sive naturam acceperit?* At numquid non de libertate *antecedente* ut aiunt hæc (etiam universe intellecta respectu quorumcumque præsentis *status* officiorum) exponi poterant? quatenus nempe liberum Deo fuit hominem condere, vel non. Num quid non de indole & natura hominis non generatim sumpta, sed ut ad certa quædam solum juris naturalis obiecta comparata? Et ut nihil horum succurrisset, an nescie-bas, e scholasticis ipsis non deesse, qui *legem Dei æternam* in libero voluntatis Divinæ actu constituant, & nihilominus invariabilem, immutabilem fateantur? Ac hinc quidem facile, etiam in Corsini hypothesi, libertatem voluntatis Divinæ in constituendis homini officiis, cum eorumdem necessitudine conciliare potuisses; nisi fortasse eamdem libertatis & potentiæ Divinæ ideam tute tibi effingeres, quam fingunt *perditæ* illius *Vasquii sententiæ* patroni, quos Corsinus Cap. 6. n. 12. & 13. redarguit.

§. IV. Et vero unus hic locus omnium instar tibi esse poterat quo de mente Corsini certum ferres judicium, nec dubitandum indicium

capc-

caperes, quam is ab eorum opinione abhorreret, qui naturam humanam in eo *ſtatu* condi potuiſſe arbitrantur, in quo *blaſphemiis Deum colere, ipſumque odio & diris execrationibus honorare* fas eſſet. At tu, quo & candore animi, hanc ipſam abſurdam impudentiſſimamque ſententiam a Corſino palam reiectam, ob quædam a te minime intellecta illius loca, tamquam propriam ei affingere; latam vero in eam cenſuram ceu rem dubiam & cum dictis eius minime cohærentem in medio relinquere maluiſti, tantum ut conviciari poſſes. Quanto æquius humaniusque erga heterodoxum hominem Puffendorffium hac in re ſe geſſit tribuiis tuus P. Ignatius Schwartzius in Inſtit. Jur. univerſ. Part. I. tit. I. inſtr. 4. §. 3. q. 7. Quem licet nimium molliter, & interdum merito ſuo non habeat; tamen ab invidioſo hoc conſectario, quod tu ex opinione Corſini deducis, immunem pronuntiat, ac inſuper eo nomine laudat, *quod cenſores ſuos, erroris de perſeitate turpitudinis & honeſtatis independenter a lege Dei haud imperite coarguerit.*

§. V. At audire mihi videor te iterum interloquentem: Quam ob rem ergo Corſinus, quod alias inficiatus eſt, clare etiam Cap. 4. num. 7. non edixit, ſed eam quæſtionem, *an Deus alia ratione naturam hominis condere, ad aliumve finem dirigere potuerit*, reſponſo vacuam dimiſit? Hoc vero eſt propriis manibus anſam aliis porrigere exiſtimandi, de impoſſibili-

bilitate illius hypotheſis ut minimum eum dubitaſſe. Inſtantiæ huic tuæ plene infra ſatisfaciam. Nunc tantum moneo, ex eo, quod quia examinanda vel definienda quæſtione aliqua ſuperſedeat, haud recte inferri ſemper, eum de explorata illius veritate aut falſitate ambigere; vel quid ſtatuat, animi pendere; alioqui tu ipſe de veritate hypotheſis Scientiæ mediæ dubitaſſe dicendus eſſes, dum §. 36. ſcribebas, *moralis Philoſophi parum intereſſe, hoc an illo modo nobiſcum concurrat Deus, & de ea controverſia fuſius eo loci tractare, ſupervacaneum ducebas.* Cauſa cur hæc, ſimiliaque interdum miſſa faciamus, eſſe ſolet, quod meditatam eorum tractationem ad rem non pertinere, aut alias inutilem fore exiſtimemus. Et hæc eadem Corſino cauſa fuit, cur laudato loco quæſtionem illam de poſſibilitate alterius hypotheſis prætervehi voluerit, omnemque de ea diſceptationem aliis, *qui hæc ſubtilius, atque etiam inutilius forte inquirunt*, remiſerit.

§. VI. Sed ex hoc ipſo tu iterum tantam offenſionem accipis, ut *pios* etiam *Cœlites* non dubites inclamare. Quippeni etiam cum illo apud Comicum querulatus es:

O cœlum, o terra, o maria Neptuni, o audaciam!

Nempe homo ſcholaſticis tricis aïvetus neſcio quid rei Chriſtianæ intereſſe exiſtimabas, prolixam de hypotheſis illius impoſſibilitate diſputationem illic a Corſino haud fuiſſe prætermiſſam; quaſi vero qui hæc ſimiliaque minute tra-

tractet, & perſequatur, certiſſimam ad illius *boni viri* famam ſibi ſternat viam,

Quo multæ magnæque ſecantur judice lites.

Atqui non ſic exiſtimare oportebat. Nam ſi quo in pretio quæſtiunculæ iſtiusmodi apud Dialecticos vel Metaphyſicos habendæ ſint; in Ethica tamen non pluris ſunt, quam apinæ nugæ, quæ ut à multis illic magnâ contentione ediſcuntur, ita nullo diſpendio ignorantur; Ingenii exacutio, quæ his rebus utilitas fere obtendi ſolet, extra finem eſt Ethices. Eum ego jure meritoque ſuo Ethicum, aut Juris naturalis peritum vocabo, qui quæ in hoc rerum *ſtatu & ordine* cuiusque hominis officia ſunt, noverit definire; non qui quæ futura fuiſſent in alio, utcumque copioſe & ſubtiliter diſputet, aut plane de alterius *ſtatus* poſſibilitate altercetur. Exiſtentibus conſtat & regitur mundus, non poſſibilibus, & numquam eventuris: nec video, quid Ethico etiam Chriſtiano commodet, ſi noverit, an *odium Dei* in alia hypotheſi *bonum* eſſe potuerit vel *indifferens*, aut *amor malus*; modo nunc, in hoc rerum *ſtatu amorem Dei* invariabiliter immutabiliterque *bonum* eſſe & præceptum, *odium* vero *malum* & prohibitum fateatur: ad hæc diris omnibus devoveat eam Antonii Sirmondi doctrinam, contendentis, *homines vi præcepti charitatis ne unicum amoris Dei actum teneri elicere, aut aliquod præceptum obſervare motivo eiusdem amoris; imo non tam iniunctum eſſe Deum diligere, quam hunc non odiſſe*; illam item alteram Thomæ Tamburini,

burini, volentis *præceptum charitatis indirecte ſolum & ratione alterius obligare, quando ſcilicet impius, quia ſacramentum pœnitentiæ non eſt in promptu, non habet aliam viam qua ſe juſtificet, niſi eliciat actum contritionis, quæ actum amoris Dei involvit;* denique & illam Vincentii Filliucii, *ultra ſingula quinquennia obligationem illius* extendentis. Atqui contra hos, qui ita de amore Dei in præſenti naturæ humanæ ſtatu exiſtimarent, *primumque & maximum mandatum* in lege convellerent, contra hos inquam *pii Cœlites* fuerant inclamandi, & auxilium rogandi; non contra eos, qui vim illius arctiſſimam in præſens agnoſcentes, ſolum de poſſibilitate alterius hypotheſis diſputationem ingredi nollent. Non hæc eo ſcribo, quaſi ipſe de impoſſibilitate illius hypotheſis dubitem; non dubitavit ipſe Corſinus, ut vidimus; ſed quod contendo, eſt, nihil fuiſſe cauſæ, cur ita Corſinum ſugillares, quod is eam quæſtionem tamquam *ſubtiliorem, & Ethico inutilem* fortaſſe futuram ſibi putaverit omittendam. Hæc una defenſionis Corſini ratio.

§. VII. *Altera* quæ germana eſt, & propria huius loci, facile ſubibit animum, ſi cogitetur, quæſtionem illam diffuſiorem eſſe, latiusque patere, quam ut paucis verbis poſſet a Corſino expediri. Si laudato Cap. 4. num. 7. de ſolo *odio Dei* aut *blaſphemia*, comparate ad *ſtatum* naturæ humanæ agere inſtituiſſet Corſinus, plane non moroſum aut difficilem in ſolvenda

ea

ea quæstione se præbuisset, sed præcisis verbis, nihil titubans edixisset, quantum ad *hæc duo* attinet, Deum alia ratione naturam hominis condere haud potuisse, nec in eo *statu* collocare, in quo *odium Dei* & *blasphemia intrinsece mala* non fuissent. At non id eo loci agebat Corsinus: de *statu* naturæ humanæ, *jureque naturali* in universum loquebatur, cuius originem sicut generatim *a voluntate Dei sic & non aliter* naturam hominis constituentis arcessiit, ita & generatim, indefiniteque, an Deus eam aliter constituere potuerit, ut quæ in hoc illius statu *mala* sunt, aliter constituta natura *bona* esse potuerint, vel vice versa, tamquam de re de qua non liqueret, nihil voluit pronuntiare. Quæ quidem animi eius indulgentia ut improbanda non sit, atque ita circa eam rem Corsinus ex æquo se gesserit, opus non erat, ut de singulis hodierni *juris naturæ* obiectis pariter dubitaret, aut generaliter omnia, vel prorsus nulla aliter constitui potuisse existimaret. Satis fuit, dubitasse eum, vel dubitare potuisse de aliquibus, aut certe super his sententiam ferre noluisse. qualia forte sunt, quæ in hoc rerum ordine idcirco *jure naturæ mala* esse dicuntur & prohibita, quod naturæ humanæ qua *sociali* adversentur. Neque enim ut certum Corsino erat, naturam humanam non potuisse condi, nisi a Deo, & cum dependentia essentiali ab illo; perinde ei certum fortasse videbatur, eam nisi *socialem* condi haud potuisse; quod tamen visum est Christiano Thomasio, qui in Instit. Jurispr.

Divin.

Divin. Libr. I. cap. 4. num. 54. *tam essentiale naturæ humanæ esse vult, esse socialem seu sociatam, quam esse rationalem;* & fieri potuit, ut Corsinus in opinionem contrariam inclinatione voluntatis magis propenderet. Integrum saltem ei erat, totam eam quæstionem omnino transire, & cui vellet disputandam relinquere, quin idcirco de *odio Dei* quoque & *blasphemia*, quod huc spectat, dubitasse revinceretur.

§. VIII. Ut finem dicendi hac de re faciam, liquido ex omnibus confici puto, male te hic Corsino quasi pugnantia docuerit succensuisse. Tam enim inter se dicta ab eo conspirant omnia, quam universi huius partes juxta Pythagoreorum *harmoniam.* Illud vero etiam improbe a te factum, quod explicatam hic a nobis illius opinionem, tamquam nescio quid monstri aleret, lectori suspectam facere sis conatus. At hoc omnium quæ monstra dicuntur est monstruosissimum. Sed & illud minime ferendum, te hominem novitium tantam de sapientia tua existimationem animo concepisse, ut Corsinum, quemadmodum *recte & pie philosophandum* ei fuisset, edoceres, & huius exemplum ex temet petere juberes. Nam etsi fortasse Minervam ipsam non nemo docere queat, tamen inepte sui quisque Minervam docet. Sed ea est procax quorumdam audacia, *quo minus sapiunt, minus habent pudoris, & qui non didicere quid sit scire, nullius rei sibi non arrogant scientiam,* ut inquit alicubi Quintilianus. Quam longe

aliter

aliter privati quique in quotidianis negotiis ſibi moderantur?

Navem agere ignarus timet, abrotonum ægro
Non audet, niſi qui didicit dare.

Hor. Libr. II. Ep. 1.

Imo & pueri paulo conſideratius in his ſe gerunt. Inter hos quippe

Ludere qui neſcit, campeſtribus abſtinet armis,
Indoctusque pilæ, diſcique, trochique quieſcit,
Ne ſpiſſæ riſum tollant impune coronæ.

Id. in Art.

CAPUT XVI.

De probabiliſmo, & inprimis de negata Probabiliſtis a Corſino virorum ſapientiſſimorum &c. laude.

§. I.

Succedit tandem *quartum* accuſationis tuæ in Corſinum caput. Ac poſtremum quidem hoc eſt ordine, ſed maledicendi libidine præcipuum ac primum; ita ut leviſſima videri poſſint a te in prioribus Corſino adſperſa convicia, ſi cum iis, quibus hic eum oneras, conferantur. Ita per totos tres §phos ſtomacharis, quaſi plauſtro inſidens hæc ſcripſeris, aut feſtum illud Athenienſium egeris, quo teſte Heſychio jus erat dicteriis unumquemque proſcindendi. At quærat aliquis unde tantæ

— — — animis cœleſtibus iræ?

§. II. Nempe quod Corſinus *probabiliſimum*, illud Theologiæ corculum illum porcellum

Acarnanium, illum Melitæum catellum Tom. 5. Eth. ſuæ diſp. 5. cap. 10. aſperius nonnihil habuiſſet, quam eius teneritas & mollities ſuſtinere poſſe videretur. Ac mihi quidem mirari ſubit ea de cauſa tantopere te eſſe commotum; præſertim cum non ignorem, quid circa opinionum delectum olim A. R. P. Mutius Vitelleſchus ſocietatis tuæ Generalis Præpoſitus litteris ad ſuperiores 4. Jan. 1617. datis ſuos monitos voluerit. *Omni ſtudio*; ſcribebat tunc ille, *perficiant, ut qui docent ſcribuntve, minime hac regula & norma in delectu ſententiarum utantur: tueri quis poteſt, probabilis eſt, auctore non caret; verum ad eas ſententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, maiorisque nominis Doctorum ſuffragiis ſunt frequentatæ, quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodeſſe queunt; non vaſtare, non perdere.* Verum tu R. Pater non videris eorum accedere voluiſſe numero, ad quos hæc ſcripta ſunt; ſed eorum potius, *a quibus periculum erat*, ut initio illius periodi laudatus Præpoſitus tuus queſtus eſt, *ne eorum ſententiæ in rebus ad mores pertinentibus plus nimio libere non modo ſocietatem ipſam everterent, ſed etiam Eccleſiæ Dei univerſæ inſignia afferrent nocamenta.* Tam ferocem te hic *probabiliſmi* vindicem exhibes, quam vix poſſes ararum & focorum, ſi pro iis decertaretur.

§. III. Initium facis more tuo a jaciendo in Corſinum convicio. Ita enim §. 46. ordiris: *Sententiam hanc poſtremam, ſcilicet de uſu licito opinio-*

opinionis minus probabilis, minusque tutæ, neſcio quo æſtro perculſus, aut ſub quo ementito pietatis tuendæ ſchemate Piſanus hiſtoriographus plurimis laceſſit conviciis. Intelligiſne quid dicas R. Pater? Corſinum Virum non ignobilem, nec in obſcuro aliquo Italiæ angulo latentem, meritisque in rem publicam litterariam ſuis dudum erudito orbi notum, ipſique adeo ſanctiſſimo, Doctiſſimoque Pontifici noſtro Benedicto XIV. (quem utinam Deus diu nobis ſervet incolumem) ob ſuas etiam *Inſtitutiones philoſophicas* probatum & laudatum, tu tamquam amentem, aut furore quopiam correptum nobis inducis; nec id tantum, *ementitii* etiam in *pietate tuenda* ſtudii inſimulas? An *præcepit tibi Dominus, ut* ita Corſino *malediceres?* Vide quo livor tuus te abripuerit. Subeat fortaſſe olim hæc te effutiviſſe pœnitudo.

§. IV. Sed age, ſi probabiliſmi doctrinam inceſſere *furor* eſt in Corſino, ſi *ementitum pietatis Schema;* quas quæſo eruditionis & virtutis partes relicturus es tot Eminentiſſimis S. R. E. Cardinalibus, tot Illuſtriſſimis Præſulibus, tot aliis Viris celeberrimis, alterique etiam Societatis univerſæ Præpoſito A. R. P. Thyrſo Gonzalez, qui omnes apertum creperæ illi probabilitati bellum intulerunt? an & iſtos hoc agendo inſaniiſſe, pietatemque mentitos dices? Dum communem hac in re Corſino cum Viris tantis cauſam conſidero R. Pater, jure mihi eius nomine, iisdem plane verbis, quibus olim Auguſtinus cum Juliano Pelagiano Libr. I. cap. 4. tecum expoſtu-

lare posse videor: *Cernis cum quibus maledicta tua sustineam, cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nulla consideratione propria pulsare calumniis & expugnare conaris? Cernis quam tibi perniciosum sit tam horribile crimen obiicere talibus; & quam mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus?*

§. V. At inquies, non eam ob rem Corsinus reprehensionem hanc incurrit, quod Probabilistarum sectæ parum propitium se exhibuerit, sed quod eos eorumque Doctrinam *plurimis lacessiverit conviciis*. Id vero est quod tu queraris, & honorificæ illi Corsini appellationi veluti causam subiungis. Erit suus, ubi hæc convicia expendantur, paulo infra locus. Sed ignoce R. Pater, eam ob rem *mentitum pietatis studium* Corsino obtrudere fas non erat; nec probrum hoc in eius maledicentiam, si quam admisit tamen, recte vero in susceptum ab eo probabilismi refellendi consilium quadrare poterat. Non enim qui conviciis lacessit alterum, præsertim si iniuste id faciat, *pietatem* idcirco *mentitur*, aut falsum illius *tuendæ Schema* præ se fert, imo quam parum pius sit, prodit potius; sed qui sub obtentu pietatis agit quidquam, quod illius opinionem apud alios ei natum est conciliare. Quod cum in severiores morum magistros pulchre, si quis cavillari velit, præsertim eos qui a *pietate* denominantur, transferri posse videatur, palam est, Corsino ob impugnatum *probabilismum* dumtaxat pietatis quæstionem a te motam esse, adeoque eam-

dem

dem cum illo invidiam ſubire debere ceteros omnes, quotquot ſunt *probabiliſſimi* hoſtes.

§. VI. Neque vero mirum quempiam habere debet, tam urbane Corſinum aliosque abs te exceptos; cum & in *hæreſeos* ſuſpicionem olim tractos fuiſſe conſtet, & invidioſo *Janſeniſtarum* nomine jactatos, qui religioſiores fuerunt, quam ut Probabiliſtarum factioni ſe coniungerent, & *ante* eorum *Baal genua curvarent*. Quin imo tam connexa duo hæc, *odium probablilismi & Janſeniſmus* credebantur, ut non alia in judicio natalium & ſtatus ſententia rigidiori mater, quam pellex *Janſeniana* quæreretur; & inter cetera *Janſeniſtas* ab *orthodoxis* diſcernendi indicia etiam illud referretur, ſi quis moralem doctrinam ſeveriorem affectaret. Excute ſi lubet vel ſolum P. Georgium de Rhodes Diſp. 2. de Actib. human. quæſt. 2. Sect. 3. & ſatis ſuperque talium mercium es reperturus,

Quarum onus haud portet centum ratis incita remis.

Periculo autem proprio id experti ſunt in Gallia Pariſienſes, Rothomagenſes, Senonenſes, Bellovacenſes, Ambianenſes, aliique ex ſingulis fere Galliarum urbibus doctrina & pietate inſignes Parochi, quam primum laxas quaſpiam propoſitiones e doctrina *probabiliſmi* potiſſimum enatat ad Clerum Gallicanum in Comitiis Generalibus an. 1656. congregatum detulerunt: nec qui *Apologiam Caſuiſtarum* ſubinde adornavit Pirotus e Societate tua auctor, adverſarios ſuos alio quam *Janſeniſtarum* nomine compellandos ſibi putavit. Experti id ſunt in eadem Gallia,

Belgio, alibique Viri purpura etiam & infulis conſpicui, ut plurimum autem in China & Indiis e Clero ſæculari Miſſionarii Epiſcopi, ubi livor & invidia eo ſecurius ſe partes ſuas agere poſſe credebat, quo ſupremus rerum horum cenſor Romanus Pontifex eſſet remotior. Exſtant ea de re cum aliorum, tum P. Dominici Fernandez Navarette in *Tractatu Hiſtorico-politico* Matriti ao. 1676. edito juſtiſſimæ querelæ, quæ docto æque ac pio Cardinali Bona eam tandem, alias minime tolerandam vocem expreſſerunt: *O ſi omnes quot quot ſumus homines, eſſemus tali modo Janſeniſtæ!*

§. VII. Verum quando tu R. Pater lectorem credere vis Corſinum malum hoc abs te ſuo ſibi jumento, ſuis in *probabilismum conviciis* arceſſiviſſe, quænam illa quantaque ſint, diſpiciamus. Tu uno verbo, *centena* eſſe confidenter ais; ſed ad quæ referenda omnia *ſepia tua erubeſcat*. Verecundam hercle ſepiam! quæ tam facile atrum colorem mutet, & illum virtutis proprium induat. Atqui dum tu deteriora longe in Corſinum hic chartæ illineres, non erubuit. Nempe

— Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt
Ærugo mera.

Horat. I. Sat. 4.

§. VIII. Verum quodnam tandem illud *unum ex centenis* eſt, quod ne *ſepia* illa tua quidem tam pudibunda *erubuit*, & ex quo nihilominus Corſinus *veluti ex ungue leo cognoſcatur?*

tur? Vix illic ſiniſtri quidpiam aut tetri odoraretut alius, ubi tu illud tibi viſus es detexiſſe, nimirum Tom. 5, Eth. diſp. 2. cap. 10. num. 31. in iis ipſis Corſini verbis; *Id unum reponere juverit, quod immerito prorſus illi veluti graviſſimi, doctiſſimi, ſapientiſſimi habentur, atque mirifice commendantur, qui perniciosam hanc doctrinam, ſcilicet probabiliſmum ut vulgo audit, non ſine maximo Theologiæ dedecore in æternam animorum perniciem invexerunt.* Agnoſco R. Pater, etſi truncata non nihil a te, Corſini verba: at quam ob rem turbas tantas concire debueris, adeoque vociferari, non invenio. Nam quod hoc amabo tantum crimen eſt, laudem *graviſſimorum, doctiſſimorum, ſapientiſſimorum* virorum Probabiliſtis non tribuere, & ſupra omne id quod doctum & ſapiens dicitur, eos extolli minime ferre? Ergo *ipſi ſunt ſoli homines, cum quibus nata eſt & emorietur iterum ſapientia?* Non hoc eſt conviciari R. Pater, laude indebita quoepiam fraudare. Nimium multum exigis, ſi his tuis anteſignanis in ſchola Theologica *ſubmiſſis faſcibus imperium deferri* vis, nec facile a quoquam, ut tibi aſſentiatur impetrabis, niſi ex eodem ſit grege. His enim demum mutuum ſibi teſtimonium reddere licet, parque pari referre.

Sic aſinos videas coſtas coniungere coſtis,
Officioque pari ſe ultro citroque fricare.
L. Sectan. Serm. 3.

§. IX. Fuerint vero illi *probabiliſmi* opifices alias *ſapientiſſimi* & *doctiſſimi*, non intercedo; at in procudenda & limanda *probabiliſmi* doctrina

tales se minime exhibuerunt. Fateor (faciam hic meaContensoni in Probabil. Comment. c.2. Specul. I. verba) *nonnullos eorum multas hæreses multis voluminibus oppressisse, inimicorum fidei confutasse errores, atque furiosas Calvinistarum Lutheranorumque adversus Catholicam Ecclesiam calumnias confudisse, præclarisque operibus summis ædificatoribus Ecclesiæ pares esse potuisse, nisi profana laxitate novum quid invenissent, quo & cunctos labores suos, velut cuiusdam lepræ admixtione fœdarunt, & peccantes in uno fortassis facti sunt omnium rei. Unde præclara eorum doctrina in ceteris jure commendanda; hac in parte non tam adificatio, quam tentatio facta est. Tentatio enim populi est error Magistri, & tanto major tentatio est, quanto doctior is quo tentantur.* Ex qua quidem censura facile si velis, rationem inire queas, quæ interpretatio Corsini etiam sententiæ subiicienda sit, laudem eximio alicuius *doctrinæ* & *sapientiæ* Probabilistis abjudicantis; alibi vero, seu num. 24. loc. cit. *ullam in iis prudentiam vel moderationem deprehendi negantis; sed maximam potuis laxitatem, humanæ divinæque legis eludendæ studium; Patrum, Pontificum, Conciliorum contemptum; pernicioſam denique opinandi licentiam.* Nimirum ad moralia eorum opera hæc referenda sunt, eaque loca, ubi puras putas probabilitates, & humanæ libertati blandientes opiniones consectantur. Sicubi alias bene, nemo melius: at hic, ubi male, nemo peius.

§. X.

§. X. Eadem distinctione occurritur tuæ illi, quam contra hanc Corsini censuram §. 48. inseris, instantiæ, dum quæris, *si nulla in Probabilistis prudentia, moderatio; si maxima laxitas &c. qui fieri possit, ut Probabilistæ citentur, & allegentur ab Anti-Probabilistis (quemadmodum vicissim id fieri solet) & ratione & autoritate pondus eorum sententiis addituri?* Nam respondeo: Si quod pondus Probabilistæ sententiis quibusdam addere putandi sunt, hoc eos ibi addere, ubi ab Anti-Probabilistis citantur & allegantur; non allegantur autem in sententiis minus probabilibus & faventibus libertati, sed legi, & quæ maiorem veri referunt similitudinem, ubi & sapere existimantur.

§. X. Quamquam tota hæc ratio laudandi interdum Probabilistas, si ex usu & genio laudantium æstimetur, parum roboris habet, ad aliquam iis *sapientiæ* opinionem conciliandam. Quippe & in fidei nostræ dogmatis confirmandis hæreticos interdum, & Orientalis Ecclesiæ Schismaticos appellare solemus; non quod veræ *sapientiæ* aut *doctrinæ* laudem in iis recognoscamus; sed quod nescio quam veritatis præsumtionem apud homines habere soleat, mutua plurium alias discrepantium, in aliquo dogmate consensio. Verum enim esse oporteat, ubi nec livor invenit quidpiam, quod offendat. Ita & hic veras eas opiniones censeri necesse sit, quas ipsa quoque blanda alias conciliatrix, & quasi sui lena natura, humana

cupiditas, quæ Probabiliſtis imponit toties, nequeat cavillari.

§. XII. Et hæc quidem R. Pater ſatis mihi eſſe ad purgandum Corſinum, & avertendam omnem ab eius effato noxam videntur. Quod ſi tamen his acquieſcere non vis, accipe quæ de Probabiliſtis, eorumque *ſapientia* alii Viri Clariſſimi dudum ante Corſinum tulerunt judicia. *Summam luxuriantium ingeniorum licentiam* in iis notavit Alexander VII. in Decret. an. 1665. die 24 Sept. edito. *Improvidæ temeritatis* eos redarguerunt Epiſcopi Gallicani in Epiſt. ad Innocentium XI. data, quam recitat P. Graveſon Tom. 8. hiſt. Eccleſ. Colloquio 2. *quibus id demum videtur fuiſſe propoſitum, fovere hominum cupiditates, extinguere conſcientiæ morſus, deſerendi peccati ſtimulos evellere, iter ad vitia ſternere, eadem peccatis quæ virtutibus, tenebris quæ luci, falſitati quæ veritati jura tribuere.* Cæcos *ductores* eos vocavit Cardinalis Le Camus in Epiſt. paſtorali an. 1702. die 15 Febr. data, *qui non alia moralis principia adhibentes, quam vanos & commentitias proprii ingenii ad inventiones, alias ſecum in præcipitium miſere pertrahunt. In hoc unum laborare ingenio, ut via voluptatibus pateat, & virtutes legesque honeſto exilio proſcribantur*, pronuntiavit Cardinalis Sfondratus in Regali Sacerdotio Libr. 1. §. 20. *Theologos* quidem dixit Jacobus Mechlinienſis Archi-Epiſcopus in litteris ad Cardinales S. Inquiſitionis an. 1654, die 17 Julii ſcriptis, *ſed quorum ſtudium non*

tendat

tendat ad ſectandam Evangelicam veritatem, & traditam nobis a R. Patribus vitæ normam, ſed ad excuſandas excuſationes in peccatis, & eorum turpitudinem pallio probabilitatis obvelandam. Infinitus eſſem, ſi omnia præconia quibus Viri quique graviſſimi hos probabilitatum propolas ornarunt, cumulare hic vellem; apud quos paſſim audiunt *Novatores*, *Auctores leves*, *Circumforanei*, *Audaculi*, *vix ſemi-docti* &c. quæ certe duriora ſunt, quam ea Corſini, quibus dubiam ſolum iis *ſummæ ſapientiæ*, *prudentiæ & doctrinæ* facit poſſeſſionem. Vellem ſaltem, ut non plus quam *hiſtoriographum* hic etiam Corſinum agnoviſſes, impuneque ei abire ſineres, quod *aliorum* de Probabiliſtis *ſententias retulerit fidelitur*; vel ſi propriam mentis eius ſententiam hic libeat agnoſcere, in fundo tamen tuo pedem figere ne vetares, ſi forte ea excuſatione uterertur: *Probabile ſibi viſum ob tot teſtium omni exceptione maiorum auctoritatem, illos probabiliſmi hyperaspiſtas viros graviſſimos, doctiſſimos, ſapientiſſimosque haud fuiſſe.*

§. XIII. Qnamquam aſſeverare non dubito R. Pater, numquam Corſinum, aliosve, quos ille duces ſecutus eſt, paſſuros fuiſſe aſperi quidpiam in Probabiliſtas ſibi excidere: niſi propria illorum arrogantia, faſtus & importunitas, hincque conſequi aptum ſimplicium offendiculum, inevitabilem pœne talium neceſſitatem eis impoſuiſſent. Nam quomodo quæſo ipſi non moleſte ferrent veteribus Patribus

ac Theologis, quorum doctrina per quindecim amplius fæcula illustrata fuit, & incolumis stetit Ecclesia, ab hesternis istis Theologastris sic illudi, ut *melius examinata a junioribus, ab iisque petenda morum doctrina diceretur?* Quid facerent, ubi ad conciliandam *probabilissimo* autoritatem tot Virorum ceu *gravissimorum, doctissimorum sapientissimorumque* nomina prætendi viderent? ubi idemtidem pusillis illud occentari audirent: *crediblile non esse tot tantosque Viros desipuisse; etiam illos fuisse Theologos, non truncos aut stipites; minime ita locuturos, si doctrinam eam perniciosam agnovissent; nec tam cæcos ut non agnoscerent: tuto eorum vestigiis insisti & disciplinæ;* plura alia. Quid inquam facerent, ubi talia passim de Probabilistis prædicari; ceteros vero omnes, qui iis non consentirent, *ceu vanissimos ac imperitissimos homines, qui communem Theologiæ vocem non intelligerent, nec eius micam ullam haberent,* rideri animadverterent? Tacerent penitus, & intra religiosum silentium se continerent? At sic suffragio suo eorum jactantiam & cavillos probaturi videbantur, periculumque erat, ne qui his modulis deliniti, aut auctoritate tanta perculsi pronius eo ruerent, quo proclivis aliunde fertur corrupta natura

Decipit exemplar vitiis imitabile;

nec ulium avidius arripitur, quam magnorum Virorum, si idem humanæ cupiditati lenocinetur. Sic periit ille apud Comicum Simiolus

Eunuch.

Eunuch. Act. 3. scen. 5. Ipsum casum suum enarrantem audiamus:

Suspectans tabulam quamdam pictam, ubi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danäe misisse aiunt quondam in gremium imbrem aureum;
Egomet quoque id spectare cœpi: & quia consimilem luserat
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi,
Deum se se in hominem convertisse, atque per alienas tegulas
Venisse clanculum per impluvium fucum factum mulieri.
At quem Deum? qni templa cœli summa sonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego vero illud ita feci, ac lubens.

Et revera (verba sunt Augustini Epist. 202. ad Nectarium (*Terentianus ille adolescens, qui libidinem qua rapiebatur, stimulis etiam tantæ auctoritatis accendit, nullo modo in illud flagitium vel concupiscendo laberetur, nec perpetrando immergeretur, si Catonem maluisset imitari, quam Jovem. Sed quo pacto id faceret, cum in templis adorare cogeretur Jovem potius quam Catonem?* Itaque ut unde digressus sum, redeam, Probabilistæ ipsi sibi imputare debent, si durius nonnihil eorum Optimates a viris cordatis sunt excepti. Detrahenda fuit eminentis *sapientiæ* larva iis, quæ tam facile aliis imponere poterat. Subvertendum erat vexillum, quo simpli-

ſimplices quidam improvide concurrerent. Præcavendum periculum, quod nihilo minus adirent, qui falſo illo Aſſidæorum præiudicio ſe tutos putarent: *Homo Sacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos.* 1 Machab. 7. Paucis, ſi Probabiliſtæ Proceres ſuos ceu *ſapientiſſimos* ac *doctiſſimos* eiurari non ſuſtinebant, non debebant eos ut tales contemptis aliis venditare.

§. XIV. Unum eſt, quod contra hæc, & laudatas ſupra a nobis Virorum graviſſimorum in Probabiliſtas cenſuras a te hic reponi poſſit, ne Corſino ſuffragentur: nempe eas non promiſcue ad quoscumque *probabiliſmi* patronos pertinere, ſed ad eos ſolum, qui tam abſurdarum & impiarum propoſitionum, quales poſtea a Summis Pontificibus Alexandro VII. & Innocentio XI. fuerunt confixæ, exſtitiſſent autores. Accipio interea hanc exceptionem tuam; quamquam recte elidi poſſet. Sed dixi, accipio. Itaque in hos jure animadverſum eſſe ais? Jure his ſapientiæ & doctrinæ laudem denegatam? nec eam ob rem cenſores ipſos tamquam parum humanos reprehendendos ullo modo putas? Ita inquies. At vide, quos *carbones ignis* hic iterum *ſuper caput* tuum *congeras*, quamque manifeſtum malignæ voluntatis tuæ ſpecimen legentibus præbeas. Nam ſi ita eſt, quæro ex te ſuperciliose cenſor, quæ te cauſa Corſinum tot maledictis conſcindere hoc loco integrum tibi putaris, quum ipſe tamen non alios, quam monſtruoſarum illarum opionum

opionum parentes designarit, dum eos *gravissimos*, *doctissimos*, *sapientissimosque* dici posse inficiatus est? Ne gratis id a me fingi existimes, en integram, quam a te truncatam fuisse supra menimeram, Corsini sententiam loc. cit. cap. 10. num. 31. *Id unum*, inquit, *reponere juverit, quod immerito prorsus illi veluti gravissimi, doctissimi, sapientissimi habentur, atque mirifice commendantur, qui perniciosam hanc doctrinam, & opiniones illas superius expositas non sine maximo Theologiæ dedecore in æternam animorum perniciem invexerunt.* Tu tamen, quam cordatus & librarius, voces illas, & *opiniones illas superius expositas* in transcribenda ea sententia, dolo malo, nulla etiam hiatus nota opposita reticuisti: ne scilicet, si recitasses, studiose quæsita occasio vellendi Corsini acutissimo censori elaberetur. Sed hoc est credulitate lectorum abuti, & sine omni fraudis religione creandæ dumtaxat alteri invidiæ studere; consilium si quo, Ethico certe indignissimum.

Caput XVII.

Quam recte probabilismum Theologiæ dedecus vocaverit Corsinus?

§. I.

Verius aliquanto Corsino obïcis, quod *probabilismi* doctrinam *non sine maximo Theologiæ dedecore in æternam animorum perniciem* scripserit *esse invectam.* Etsi enim æque de opi-

opinionibus damnatis num. 31. laudati mox capitis hoc ab eo dictum videri queat, ut verba eius produnt: tamen quia alibi, num. 18. nempe, ſimile quid de ipſa *probabiliſmi* doctrina præciſe pronuntiavit, nōlo hanc ſententiam tamquam alienam ab eo deprecari, imo eam ipſam præſenti capite ſuſcipio tuendam, quantum ad eam partem, qua *Theologiæ dedecus probabiliſmum* Corſinus vocavit: nam de parte altera capite XIX. viſuri ſumus.

§. II. Enimvero ſi nullo alio commentum hoc laboraret vitio, quam *novitatis*, ſatis tamen magnum jam fuerit *dedecus*, in Theologiæ pomeria peregrinum hoc germen intuliſſe. Non ſum equidem tam ſuperſtitioſus vetuſtatis admirator, ut omnem *novitatem* in dogmatibus etiam habeam exoſam: puto nihilo minus intra ſolarum diſciplinarum humanarum ambitum illius laudem poſſe contineri, nec niſi temere in ſacræ doctrinæ aulam eam ſe inferre. Magnum vero inter hanc, ceteraſque profanas diſciplinas intercedit diſcrimen. Iſtæ enim cum humana ratione, ingenio & induſtria nitantur, quæ effœta prior ætas non tradit poſteriori; locum ſemper *novis* cogitatis & inventis relinquunt, adeoque & laudi. At ſacra doctrina in ſuis dogmatibus *ſcripturam* & *Traditionem* ſequitur ducem, quarum omnis in *antiquitate* eſt fundus: in hoc qui non ædificat, deſtruit; qui non colligit, diſpergit. Omnis hic aditus *novis* commentis ingeniis eſt intercluſus.

§. III.

§. III. Hinc tam graviter a Scriptore ſacro a *novitate ad vetuſtatem* traducimur Eccleſ. 8. *Non te prætereat narratio ſeniorum, ipſi enim didicerunt a Patribus ſuis.* Et Jerem. 6. *State ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus veſtris. Hinc mos iſte* (inquit Vincentius Lirinenſ. Commonitor. cap. 6.) *ſemper in Eccleſia viguit; ut quo quisque foret religioſior, eo promptius novellis adinventionibus contrairet.* Luculento ex hiſtoria Eccleſiaſtica exemplo id illuſtrat idem Autor de S. Stephano Papa, qui his fere armis adverſus Rebaptizantes ſe tutabatur. *Intelligebat*, pergit ille, *Vir ſanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere; niſi ut omnia, qua fide a Patribus ſuſcepta ſorent, eadem fide filiis conſignarentur, nosque religionem non quo vellemus ducere, ſed potius qua illa duceret, ſequi oportere: idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris tradere, ſed a Maioribus accepta ſervare, Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? quis utique, niſi uſitatus & ſolitus. Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas. Sed forte tunc ipſi novitiæ adinventioni patrocinia defuerunt! Imo vero tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus aſſertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta Divinæ legis oracula, ſed plane novo ac malo more intellecta: ut mihi omnis illa conſpiratio nullo modo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſola tanti moliminis cauſa ipſa illa ſuſcepta,*

ipsa defensa, ipsa laudata novitatis professio destituisset.

§. IV. Quid quod tam suspecta fuit Veteribus Ecclesiæ Patribus omnis *novitatis* in his umbra: ut *novis* quoque *vocibus*, nisi gravissimis ex causis, & hoc plerumque quibusdam reclamantibus, non uterentur, nec aliter, quam ea adhibita cautione, *ut cum dicerent nove, non dicerent tamen nova.* His mos perpetua religione in Ecclesia fuit consecratus: *ita nobis Maiores, & illius sui tradiderunt Maiores*, ut in simili ait Hieronymus Dial. adv. Luciferianos.

§. V. Non potuit ergo sine maximo Theologiæ, imo & Ecclesiæ totius *dedecore* probabilitatis dogma in Orthodoxas scholas invehi: in quo excogitando & stabiliendo quidquid ingenii, verisimilitudinis, & eloquentiæ acutissimi quique hominis disertissimique attulerint, notam tamen ei non abstergunt *novitatis*. Non enim puto ad hanc amoliendam eodem te R. Pater mihi argumento occursurum, quo olim P. Gabriel Hennao Societatis tuæ Alumnus *antiquitatem Scientiæ mediæ* adstruere est conatus Eventilatione 49. num. 1316. asserendo de suo tempore, *eam jam esse plus quam centenariam.* Ridicula certe ætatem æstimandi ratio, & opportuna maxime, quæ cuique *novitati* inducat *vetustatem*. At non sic Ecclesia Dei annos suorum dogmatum computat, *novumque* ei est, si quid in his vel ante mille annos con-

tra

tra priorum doctrinam, in lucem est prolatum. Ede vero R. Pater quempiam *Veterum* Patrum aut Theologorum, cui intra ipsa sexdecim fere salutis nostræ sæcula, hodierna illa Probabilistarum opinandi & agendi licentia fuerit probata, aut in usum deducta. Nullum profecto tu mihi ex omni eorum numero excitabis. Nam quod quidam unum alterumve *antiquiorum* Scholasticorum in partes suas hic pertrahere conantur, vel mala fide, vel obtorto certe collo id faciunt. Quod vero nonnulli in ipsius etiam Canonici Juris effatis quibusdam, aut exemplis *probabilissmi* vestigia deprehendere sibi videntur, eoque trita illa transferunt: *In dubio melior est conditio possidentis; In obscuris minimum est sequendum; opinio benignior & suavior præferri debet;* plane dicendi sunt ineptire. Congruit profecto in eos illud: *O ranunculi leguleii!*

— — — Ut mihi sæpe
Bilem, sæpe jocum vestri movere tumultus!
Hor. 1. Ep. 19.

§. VI. Illud quidem nec ipse diffiteor, eum opinandi & agendi modum non prorsus *Veteribus* fuisse incognitum. Quippe jam Augustinus Libr. III. contra academicos cap. 16. meminit tamquam proprii Novorum Academicorum placiti: *Cum agit quisque quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Sed hoc *antiquitatis* gratiam doctrinæ huic minime conciliat, nisi eadem Orthodoxis quoque Docto-

ribus probata fuisse demonstretur. Quod quidem adversarii, quantumcumque enitantur, numquam præstabunt. Quid Augustinus de hoc Academicorum principio statuerit, ex verbis quæ infra daturi sumus, fiet manifestum. Quomodo autem Orthodoxis illud probaretur, quod nec Ethnicos multos nanciscì potuit suffragatores?

§. VII. Nam si illos Academicos Novos excipias, vix fortasse reperias aliquem, qui id ex animo sit amplexus. Imo in ambiguo etiamnum est mihi, quid de illis ipsis Academicis existimem. Certe non possum sine omni dubitatione id de iis affirmare. Nam Cicero, sin ipse Academicus, at magnus Academiæ patronus, Libr. IV. Academ. Quæst. ubi scilicet Academicorum probabilitatem præcipuum defensionis suæ caput esse voluit, magno quidem conatu eam ceu vitæ regulam adstruit, sed ita demum, *si nihil in contrarium occurrat*. *Quidquid acciderit*, ait ipse cap. 31. *specie probabile, si nihil se offeret, quod sit probabilitati illi contrarium, utetur eo sapiens, ac sic omnis ratio vitæ gubernabitur.* Et paulo post: *Quæcumque res eum sic attinget, ut sit visum illud probabile, neque ulla re impeditum, movebitur: non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus.* Ex quibus quidem verbis effici videtur, ipsos etiam Novos Academicos longe abfuisse a nostrorum Probabilistarum doctrina, nec umquam integrum sibi esse autumasse uti *minus probabilibus*, ubi in contrarium *probabiliora* se offe-

offerrent. Ad minus cette, insolens tibi videri haud debebat, quod Corsinus *probabilissmi* doctrinam *portentum* appellasset, *quod nec Ethnici solo rationis lumine de honesiate differentes ferant.* Atqui nec illud ferunt temporis nostri Heterodoxi, quamvis alioqui plane rigidi non sint morum exactores. Utinam vero numquam id e Catholicorum scholis ad eorum aures vel fando permanasset; non ii his tantum deberent ludibrium, in quantum reapse jam sunt versi. Si uspiam locum aliquem sibi vindicare poterat id, quod olim de Saulis morte 2 Reg. cap. 1. David cavebat, profecto hic erat: *Nolite annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis: ne forte lætentur filiæ Philisthiim, ne exsultent filiæ incircumcisorum.*

§. VIII. Verum non alia efficaciori ratione ostendi potest, quam doctrina hæc a Sanctorum Patrum sensu sit aliena, quam si horum in agendo & sentiendo *firmitas*, cum nostrorum Probabilistarum *mobilitate* conferatur. Illi nempe quam semel adoptarunt, constanter in omni vita retinuerunt morum normam; illam effroenem ad utrumvis ex duobus contrariis saltitandi licentiam ignorabant. Ubique eos resolutos in suis conspicias; nusquam *in utramque partem claudicantes, aut ex hoc in hoc inclinantes;* nusquam Christianam disciplinam in Academicas quæstiones, ac dubias fluctuantesque sententias convertentes. Non minus in morum, quam fidei doctrina invisus eis

erat Syncretismus. *Pondus & pondus, menſuram & menſuram, utrumque abominabile apud Deum eſſe* ſciebant Proverb. 20. Defixum medullis intimis erat apud eos illud Eccle 2. *Væ duplici corde, & ingredienti duabus viis.* Meminerunt & eius, quod Apoſtolus ad Epheſios cap. 4. ſuæ epiſtolæ ſcripſit: *Non ſimul parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris: veritatem autem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus.* Alterius item, quod de ſe ipſo idem Apoſtolus 2 Corinth. cap. 1. teſtatus eſt: *Numquid levitate uſus ſum? aut quæ cogito, ſecundum carnem cogito, ut ſit apud me & non? Fidelis autem Deus, quia ſermo noſter qui fuit apud vos, non eſt in illo eſt & non. Dei enim filius Jeſus Chriſtus, qui in vobis per nos prædicatus eſt, per me & Silvanum & Timotheum, non fuit eſt & non, ſed eſt in illo fuit.* Ad hanc doctrinam Tertullianus conformaverat ſuam, cum Libr. de Spectac. cap. 20. ſcribebat: *Nuſquam & numquam excuſatur, quod Deus damnat; nuſquam & numquam licet, quod ſemper & ubique non licet. Hæc eſt veritatis integritas, & quæ ei debetur diſciplinæ plenitudo, & æqualitas timoris, & fides obſequii non mutare ſententiam, nec variare judicium. Nec poteſt aliud eſſe, quod vere quidem eſt bonum, ſeu malum. Omnia autem penes Dei veritatem fixa ſunt. Ethnici, quos penes nulla eſt veritatis plenitudo, quia nec doctor veritatis niſi Deus, malum &*

bonum

bonum pro arbitrio & libidine interpretantur: alibi bonum, quod alibi malum; & alibi malum, quod alibi bonum.

§. IX. Conferat nunc quiſpiam cum iſtis, hodiernorum Probabiliſtarum actiones & doctrinam. *O Academicam volaticam!* ſucclamabit cum Tullio 13. ad Attic. 25. *& ſui ſimilem: modo huc, modo illuc.* Nullus hic conſtans tenor; omnia euripiſta. Nulla ſtata regula, niſi Lesbia. Quod hodie velis jubeas, cras licet refigere: quod huic nunc ſuadeas, poſt paulo eidem vel alteri poſſis diſvadere; negare quod prius conceſſeras; & iterum concedere, quod negaras. Ambidextrum nempe te eſſe oporteat, paratum ad utrumque; aut inſtar rudis illius Philoſophorum materiæ, æquali ad omnes formas, nobiliores viliores prædítum appetitu: imo quod in illa fieri poſſe negatur, hic præſtandum eſt, & eodem tempore duplici forma oppoſita, ſeu opinione, animus informandus. *Eo res pervenit*, queritur Cardinalis de Laurea præfat. in ſuam Canonum Epitomen, *ut in permultis, ne omnia ut par eſſet complectar, quid ſequendum quidve fugiendum, ob garrulitatem opinantium penitus ignoretur: talique inſuper probabilitatis involucro coloroneſtentur ſingula, ut nullum jam ſupersit agibile, in cuius gratiam bivium protinus non ſit paratum certiſſimum; & quæ perpetuo hucusque pugnantia prædicata fuere contradictoria, concordi connubio, veri honeſtique paritate, opinatorum beneficio gaudeant coiviſſe.*

* * * * * * * * * * * * *

CAPUT XVIII.

Idem aliis argumentis confirmatur.

§. I.

Non eo ſolum nomine quod *nova* ſit, *Veteribusque* numquam uſurpata *probabiliſſimi* doctrina, *cum maximo Theologiæ dedecore* in ſcholas *invecta* dicenda eſt; ſed pluribus inſuper ex rationibus. Ego duas ſolum hic perſequar, ſed quæ rem ſatis illuſtraturæ videntur.

§. II. *Prior* eſt, quod in omnium graviſſimo, quale eſt animæ, ſalutisque æternæ, negotio, eam præſcribat, vel certe admittat normam, quam in cura corporis reique familiaris nullus opifex aut ruſticus, ſed ne calo quidem aut lixa quiſpiam, modo aliquid habeat hominis, aſſumat & ſequatur. Et tamen, *clamat tibi in conſcientia tua æterna Iuſtitia: quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tuum; quomodo colis vineam tuam, cole & animam tuam.* S. Cæſar. Arelat. homil. 20. *Si in urbe amplisſima, quam interfluit amnis, duo pontes populo tranſitum præberent, communique bonorum architectorum ſententia pons alter parum tutus exiſtimaretur: profecto vix e multis millibus unus tutiorem pontem mortalis vitæ amore perurgente non peteret. Quo modo ergo e duabus opinionibus, quarum altera communi ſapientum conſenſione reprobatur, quæ minus tuta eſt, a tam multis eligitur? an immortalis vita æque ac mortalis non ametur? Cur tamen vitam hominis immortalem cum mortali confero? Certe ut in exemplo duorum*

pontium

pontium allato perſiſtam, nemo non ſe ipſum modo, ſed ne equum, quo ad exportandum ſtercus utitur, periculoſo ponti crederet. Si ergo equus vel aſellus pontem infidum pertranſire non ſinitur, ne fiat modica rei familiaris jactura: cur anima ſanguine Chriſti redempta periculoſis opinionibus in tanto æternæ mortis diſcrimine ſe ipſam credit, ſibique tantopere vileſcit? Ven. P. Ioannes a Ieſu Maria Carmel. Diſcalc. in Arte gubernandi part. 5. §. 9. *Si emptarus veſtimentum gyras unum negotiatorem & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: quomodo non oportet populum circuire omnes doctores & inquirere? ubi ſincera veritas Chriſti venumdatur, & ubi corrupta; & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere plus quam veſtimentum?* Autor Imperfecti homil. 44. in Matth. *Nemo prudens vitam corporis ita negligit, ut audeat uti cibo aut pharmaco ſolum probabiliter ſano, quod tamen æque aut magis cenſeatur noxium & exitiale futurum. Quare ne exponat ſe probabili aut probabiliori periculo mortis, eligit aliud certo inoxium, aut ſalutiferum. Idem fere accidit circa rem familiarem ſervandam, & honores aſſequendos. Cur ergo vita animæ & ſalutis æternæ longe pretioſior paſſim exponatur probabili periculo opiniorum liberiorum?* Cardinalis de Aguirre præf. in Concil. Hiſpan. *Si de re pecuniaria agitur, ſi pretium ſit ſolvendum uno vel altero nummo, pluries ad lancem appenditur, & ſi vel minima parte unius grani levior ſit, vix admittitur. Sed has omnes leges vult Caramuel ſubmoveri a commercio ſalutis & virtutis; eodem genere & ordine contineri res de quibus opinamur, quamvis opiniones quæ conſulunt*

ſaluti & honeſto longius diſtent ab opinionibus, quæ ſtant pro voluntate & commodo, quam aurum ab ære & plumbo: vult tamen Caramuel omnes opiniones probabiles pares reputari ad gloriam æternam comparandam. Genettus Ep. Viſionenſ. Theol. Mor. diſp. 2. Sect. 1. §. 3. Et non eſt hoc R. Pater negotium animæ ſalutisque æternæ, minoris quam aliud quodvis ducere, reginamque Scientiarum Theologiam cum maximo nominis Chriſtiani probro infra veſtiariam, nummulariam, medicamentariam artes abiicere? Non me fugit quidem, qua ratione argumenta hæc a pari petita eludi ſoleant in Probabiliſtarum ſcholis; ſed ita, ut eludantur tantum, non ſolvantur. Nimirum *non poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate* 2. Cor. 13. Erit tamen ſequenti Capite uberior hæc diſcutiendi occaſio.

§. III. *Altera* ratio, cur doctrina hæc in *Theologiæ dedecus* vergere dicenda ſit, eſt, quod omne pæne nobiliſſimæ hujus diſciplinæ ſtudium quoad mores ſpectat, peſſumdet & evertat. Obſervavit id jam olim Iulius Meriones illuſtris Ord. Præd. Theologus in ſuo de Prob. opin. opere part. 3. a. 4. Obſervavit oculatiſſimus ille cœcus Proſper Fagnanus in cap. Ne innitaris num. 320. Obſervarunt alii. Sed nullius verbis melius conſectarium hoc exprimi poſſe puto, quam Præpoſiti tui Generalis A. R. Patris Thyrſi Gonzalez in Libro de recto uſu opin. prob. diſſert. 3. cap. 3. num. 104. & ſeqq. Ita igitur illic Vir vere

Candidus, & talos a vertice purus ad imos.

Si

Si ad recte opinandum sufficit quæcumque opinio probabilis, actionem a culpa liberans; satis erit ad recte operandum scire, quod exstet talis opinio apud aliquem vel aliquos auctores: ad hoc autem non est necessaria scientia ipsa moralis, seu cognitio directa concludens ex principiis morum, talem operationem esse licitam; sed sufficit cognitio pure historica & reflexa testificans, dari talem opinionem. Unde otiosum ac infructuosum erit ad secure operandum vel consulendum aliis, & ad casus morales resolvendos libros evolvere, disputationes integras legere, & directe comprehendere materiam, de qua est dubium; sed satis erit indices legere, vel initia disputationum. Nam si semel quis imbibat hoc principium, quod quælibet opinio probabilis sufficit ad securitatem conscientiæ: si interrogetur de aliquo casu difficili, satis illi erit ad resolvendum, certo scire materiam illam disputatam esse inter Theologos, & aliquos affirmare actionem illam esse licitam; vel ad summum legere initium disputationis: & ubi viderit auctorem aliquem gravem v. g. P. Thomam Sanchez supponere, quod detur talis opinio & aliquos auctores pro ea referre, statim poterit secure respondere, licet ultra non progrediatur. Unde auctor pure historicus & reflectens, qui diligens sit in contexendo catalogo opinionum probabilium, quæ inveniuntur in auctoribus gravibus, satis superque erit ad resolvendos omnes casus, de quibus controversia est inter Theologos; perindeque quis secure decidere poterit aliquem contractum esse licitum se videat Leandrum, vel Dianam referre aliquos auctores) pro illa sententia, ac si profundam disputationem instituens validissimo auctoritatis & rationis pondere assequeretur, actionem

actionem illam esse honestam. — — Hinc inutilis erit labor denuo scribere circa quæstiones morales jam a Theologis ventilatas, nec Probabilista affirmans licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem, potest finem ullum assignare novos libros vel tractatus scribendi de rebus moralibus in controversiis; in quibus ipsemet scribens supponit dari opiniones contrarias. Quamcumque enim partem defendendam suscipiat, irrito conatu laborat. Vel enim defendit actionem esse illicitam & peccaminosam; vel defendit esse licitam & ab omni culpa liberam? Si primum, constat eius conatum esse irritum, quia cum ipse supponat, vel etiam expresse asserat opiniomem contrariam esse probabilem; & aliunde universaliter doceat, omnem opinionem probabilem affirmantem aliquid esse licitum, tutam & securam esse, & licite ad praxim deduci; consequens est, ut oleum & operam perdat in stabilienda sententia rigida. Nam interrogatus, an omnibus inspectis licitum absolute sit exercere actionem illam, respondere debet licitum esse; quia quamvis sentiat sententiam benignam esse falsam; nihilominus censet absolute probabilem, & aliunde ut principium statuit licitum esse sequi quamcumque opinionem probabilem. Ut quid ergo laborat in stabilienda sententia rigida? Si autem defendat actionem esse licitam; etiam vanus est eius labor: quia antecedenter ad hunc laborem supponebatur, esse probabilem sententiam illam: ergo si scribens supponit tamquam principium, licitum esse sequi quamcumque oppiniomem probabilem, supponit ut sufficienter probatum, licitum esse exsequi talem actionem. Ergo actum agit, dum magno argumentorum apparatu contendit licitam esse.

Nec

Nec refert ſi reſpondeas, laborem diſputationis deſervire, ut opinio benigna reddatur magis probabilis. Nam ſi ſemel ſupponatur, licitum eſſe ſequi ſententiam. benignam, etiam in accurſu ſententiæ oppoſitæ longe probabilioris, ſententia illa non redditur tutior per hoc, quod fiat probabilior. Quare ſolum in ſententia aſſerente, non eſſe licitum ſequi opinionem favorabilem, niſi appareat probabilior, vel ſaltem æque probabilis ac ſententia oppoſita, utilis eſt labor, denuo ſtabiliendi ſententiam favorabilem libertati, quæ in ipſo diſputationis veſtibulo ſupponitur abſolute probabilis.

§. IV. Vides R. Pater, quo ex ſententia Præpoſiti tui evadat omnis Theologi Moralis labor, ſi *probabiliſmus* tamquam univerſale & inconcuſſum principium ſemel adoptetur: eo nempe, ut nil aliud præſtare neceſſe ſit, quam (quod ſecundum te merorum *Compilatorum* eſt & *Hiſtoriographorum*) *opiniones* Caſuiſtarum *cum novas tum veteres conquirere ſedulo, referreque fideliter;* cuiusque arbitrio interea remittendo, ut quam velit hinc capiat, imo indiſcriminatim unam vel alteram, quoties libuerit, ſibi aut aliis accommodet. Et cum inter regulas Profeſſoris Caſuum conſcientiæ in Societate tua ea num. 5. habeatur: Ut *ita ſuas confirmet opiniones, ut ſi qua alia fuerit probabilis, & bonis auctoribus munita, eam etiam probabilem eſſe ſignificet;* patet, uberrimam rei huiuſce penum in illius Scriptoribus cuique fore paratam; tibique ipſi, qui tradendæ Theologiæ moralis munus nunc ſuſtines, fas erit eadem compendi-

pendiaria pro auditoribus tuis uti methodo, neque nimis anxie nocturnis impallescentem chartis in examinandis singulis opinionibus occupari. Verum an id tibi satis honorificum futurum sit, qui probro id des Corsino, quod in *Institutionibus* suis *Philosophicis* non plus præstiterit, tu videris: & nihilominus si Probabilista juratus, ut es, esse abstines, inaniter in pluribus es elaboraturus.

§. V. Dices fortasse (hoc unum enim reponi posse videtur: (paucas in re morali occurrere eiusmodi quæstiones, quæ utrinque *vere* sint *probabiles;* ut proinde in probabilitatum regno amplus nihilominus exercendi ingenii ac industriæ campus semper sit futurus, in opinionibus *vere probabilibus* diiudicandis, & a *falsis* vel *tenuiter* solum *probabilibus* discernendis. Imo dico ego, paucæ occurrunt, quæ non sint utrinque *probabiles*, eo saltem sensu, quo vox hæc a Probabilistis usurpatur. Certe Cævallos solarum *opinionam communium contra communes* complures in suo Speculo aureo collegit centurias; Diana vero amplius ter mille utrinque *probabiles* prodidit. Crespinus autem Borgia Placentinus Episcopus in Selectis suis moralibus cap. 9. plane non dubitat affirmare vix dari casum, in quo non sint duæ opiniones contradictoriæ & *probabiles*. At inde usque quantam non putas ad hunc cumulum a fœcundis ingeniis factam esse accessionem?

§. VI. Verum admissa etiam hac opinionum utrinque *probabilium* paucitate, adhuc tamen excu-

excubias agente *probabiliſmo*, licebit in utramque aurem dormire Probabiliſtæ Theologo. Ut enim loco ſupra laudato argumentatur Mercorus, *Caſus, qui poterit unicuique occurrere, aut erit facilis ſolutu, aut difficilis? ſi facilis, non erit opus ſtudio, nec revolutione librorum pro eius reſolutione. Si difficilis, experietur quiſque difficultatem illius ex eo provenire; quia utrinque ſunt rationes probabiles. Unde mox atque aliquis propoſitum caſum adverterit eſſe difficilem, una etiam advertet eum pro utraque parte eſſe probabilem, & hinc alio ſtudio ad quam maluerit partem, tuta conſcientia ſe applicabit.*

§. VII. An autem; vel quomodo tanta, hinc conficitur, facilitas in graviſſimam hanc formandorum morum & regendarum conſcientiarum diſciplinam poſſit congruere, plane non pervideo. Eam certe non agnovit Doctor Angelicus, Affirmans Quodl. 9. quæſt. 7. art. 15. *Omnem quæſtionem in qua de peccato mortali quæritur, periculoſe determinari, niſi expreſſe veritas habeatur.* Non talem etiam hic ſubeſſe credunt *juſti, vigiliis continuis*, ut inquit Auguſtinus Libr. 22. de Civit. Dei Cap. 23. *excubantes, ne opinio veriſimilis fallat, ne deciat ſermo verſutus, ne ſe tenebræ alicuius erroris offundant, quod bonum eſt malum, aut quod malum eſt bonum eſſe credatur.*

§. VIII. Quodſi conſtante *probabiliſmi* doctrina aliquis Theologiæ moralis ſtudio locus ſit reliquus futurus, in eo potiſſimum Caſuiſtarum,

ſtarum labor & opera verſari poſſe videtur, ut (quod factum a Diana gratulatur Caramuel, a Baunio vero, jocatur Hallerius) pluribus deinceps opinionibus, quæ nondum ſunt *probabiles*, aliqua probabilitatis forma inducatur, & eſſe deſinant, quæ hactenus fuerunt peccata. In hoc enim totius huius artificii ſumma conſiſtit, inſtar illius Agni Dei Evangelici *tollere peccata mundi*. Et fortaſſe dudum hæc induſtriorum Probabiliſtarum eſt occupatio, *poſtquam illa licentia in tantum ſibi habenas in doctrina morum relaxavit, ut pro regula morum non veritatem, ſed probabilitatem ponere auſa fuerit*, ut inquit Cardinalis Bona in ſuis Principiis vitæ Chriſtianæ part. 2. §. 46. Fuit certe adhuc initio huius ſæculi poſt damnatas nempe jam illas, Chriſtianæ diſciplinæ nervum ſuccidentes propoſitiones. Adhuc an 1700. ſcribunt Cleri Gallicani Epiſcopi in Epiſtola encyclica Calend. Octobr. data, *ſubtiliora ingenia in id potiſſimum eſſe intenta, ut eo quiſque ſe vel maxime Theologum videri vèlit, quo plura eiusmodi inventa in probabilitatis auctoritatem adduxerit*. Sed quid de præclaris his Magiſtris dicamus? *Converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* 1. ad Timoth. 1.

* * * * * * * * * * *

CAPUT XIX.

Quam vere Corsinus probabilissimum in æternam animorum perniciem invectum dixerit?

§. I.

Nihil durius accidere potest Probabilistarum auribus, quam hoc præcipuo doctrinæ eorum capiti affrictum probrum, *probabilissimum* nempe *in æternam animorum perniciem* in Ecclesiam esse invectum; quum tamen ipsi eam *tamquam singulare Divinæ sapientiæ omnia suaviter regentis munus, ad novissima hæc tempora reservatum prædicent, quo scrupuli tollantur, serenitas conscientiis asseratur, morbi animæ mira lenitate curentur; cuius denique rotis cœli via arcta & angusta amplior reddatur, vel certe alia nova planior, nec ita confragosa concinnetur.*

§. II. Et revera eorum quidam *duplicem* eiusmodi ad cœlum *viam* pro duplici Christianorum genere sunt commenti; *arctam* quidem illam pro *Bacbetonis* & *Chietinis* ut vocant; *spatiosiorem* vero alteram pro *communiter sic dictis Christianis*, ut videre est apud Editorem Venetum Pontasii in Auctario duorum Casuum cas. 1. concl. 2. *Providentia superna*, inquit Bassæus ver. Conscientia, *cautum est, unicam tantum viam operationum moralium non dari, sed rectam inveniri posse actionem, sive juxta unam, sive alteram opinionem operentur mortales; sicuti est melius hercle plures esse vias Matritum ducentes, quam si unica tantum reperiretur. Nam illam*

lam vel nimis latam esse oporteret, aut per eam transeuntes impediri, & cum molestia pergere esset opus. Alii tamen *unam* a Christo fixam agnoscere malunt, sed quam ipsi *in planissimam aream & planitiem* convertissent, *qua tuto & indiscriminatim universi absque ulla difficultate in cœlum devenirent; solis exceptis, qui tantum beneficium non agnoscerent, Divinasque illas probabilitates non exoscularentur, quorum dumtaxat est despenta salus, & certissima damnatio* apud Cabassutium in Theoria & Praxi juris Canon. Libr. 3. cap. 13. num. 13.

§. III. Hæc cum e diametro pronuntiato Christi, *unam* non nisi eamque *arctam & angustam* ad cœlum *viam* inculcantis adversentur; audent tamen novitii isti viarum stratores & aurigæ conatum hunc suum inter præcipuas felicitatis partes hodiernæ Ecclesiæ reponere, eique congratulari. Nempe *non sufficerat errasse eos circa Dei scientiam: sed & in magna viventes inscientiæ bello tot & tam magna mala passem appellant Sapient. 14.* *Ergo* inquit Caramuel in Theol. Regular. disp. 6. *Ecclesia Catholica felicior dici debet, quod exuberet sactissimis & doctissimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones; quia damnarentur plurimi, quos sententiæ probabilitas salvat: nec inde infelix Ecclesia, quod doctores opinentur pessim; sed & inde felicior, quod benignius & facilius suos possit ad lauream empyream promovere.* Talia ipsi de Ecclesia: dum illa interea alte super moribus filiorum suorum ingemiscit, ut non incongrue ei aptare

possis

possis, quod olim Bernardus Serm. 33. in Cantica de ea scripsit: *Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest: ita invaluerunt & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amarituto eius amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax a paganis, & pax ab hæreticis; sed non profecto a filiis. Vox plangentis in tempore isto: filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.*

§. IV. Sed agedum, quodsi ut isti contendunt, ob novum hoc probabilitatis inventum congratulandum est felicitati hodiernæ Ecclesiæ; ergo præcedentium sæculorum infelicitati erit condolendum. *O igitur* (exclamare hic libeat verbis Guigonis Carthusiani) *Apostolorum tempora infelicissima! o viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos! qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei, tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant.* An non potiori jure de his felicitatis temporum nostrorum sponsoribus usurpare liceat illud Isaiæ 3. *Populo meus! qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant. Profecto*, ut recte & eleganter ait Sinnichius Libr. de Saule, *tam non potest humana solertia ad semitam cœli adiicere digitum unum latitudinis; quam non potest ad staturam hominum adiicere cubitum unum longitutinis.*

Etenim qui vitæ hominis constituit terminos, qui præteriri non poterunt; ipse constituit viæ cœli terminos, qui dilatari non poterunt; ipse quoque constituit viæ tartari terminos qui contrahi non poterunt: atque adeo & illa permanet arcta, prout ab ipso constituta est, & ista perseverat spatiosa, prout ab ipso constituta est. Quodsi ergo *via*, quam probabilismi doctrina demonstrat, aut efficit, *lata* est & *ampla*, uti ipsi Probabilistæ jactare solent, plane consequitur, eam ipsissimam illam esse, *quæ* ut habetur Proverb. 14. *videtur homini justa, novissima autem eius deducunt ad mortem;* ac proinde doctrinam illam non in|salutem sed *perniciem* potius æternam *animorum esse invectam.*

§. V Neque vero de ea ullus aliter statuere potest, qui serio illud expendere voluerit, eius opinandi & agendi modum ita comparatum esse, ut necesse sit interdum ei inhærendo legem Divinam aut humanam certissime transgredi. Exemplo res fiet illustrior. Est gravissimorum Theologorum sententia, fas non esse Confessario relicta sua *probabiliore* & *tutiore* opinione, *minus probabilem minusque tutam* pœnitentis amplecti, eique e. g. *absolutionem non sacramentalem non imperata restitutione impertiri.* Est contraria inter Probabilistas communis, Confessarium arctissime ad id adstringens. Etsi posterior hæc opinio in maximam sacri Pœnitentiæ tribunalis probrum excogitata sit, (quis enim vel fando audivit umquam, jus esse *reo* obligandi profanum *judicem*, *ægro medicum*, *discipulo doctorem*, ut in iis quæ ad se attingunt, suæ *minus probabili minusque*

que tutæ opinioni ſe accommodet? quæ tamen tria munera in re multo graviori in unoquoque Confeſſario cumulantur: imo ob hoc ipſum eos, qui id ſibi arrogare auderent, Spiritus Sanctus Iſaiæ 30. graviſſime reprehendit: *Filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei! qui dicunt videntibus nolite videre, & aſpicientibus nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt; loquimini nobis placentia, videte nobis errores:* quid vero factu opus, deinceps indicat: *Erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis: hæc eſt via, ambulate in ea* (Etſi inquam non ſine probro maximo ea ſententia excogitata ſit, dabo id tamen tibi in præſenti, eam eſſe *probabilem*, & ſi vis etiam *probabiliorem*: dummodo viciſſim tu tam inhumanus non ſis, & contrariam, quam nullum ex probabilitatis veræ criteriis deficit, *vere probabilem* eſſe fatearis. Itaque Probabiliſtæ cuique pro ampliſſima illa, quam cuique *probabilismus* facit venia, licebit nedum alterutram, ſed utramque amplecti, & abſolutionem pœnitenti eo in caſu alias negare, alias impertiri. Atqui hoc agendo aio ego eum certiſſime peccaturum. Alterutram enim actionem neceſſe erit legi adverſari; ut adeo dum utrumque diverſis temporibus agetur, ſemel certiſſime legi contraibitur. Si enim ponatur exiſtere lex de *impertienda abſolutione ſine onere reſtitutionis* ſic comparato pœnitenti, hæc *negata abſolutione* violabitur; ſin autem oppoſita lex exiſtat, eadem *impertita abſolutione* infringetur.

getur. Neceſſe eſt autem alterutram legem exiſtere, igitur neceſſe etiam eſt alterutram, agendo utrumque, violari.

§. VI. Et id quidem in quacumque materia, ubi duæ occurruris oppoſitæ opiniones *probabiles* evenire poteſt reſpectu Confeſſarii, non ſolum dum de *impertienda abſalutione* agitur, ſed etiam dum de dando reſponſo, quod indum exquirit pœnitens. Si enim is ſuam *probabiliorem* opinionem ſecutus dicat pœnitenti e. g. non licere ei in cogitationibus vel motibus venereis mere *permiſſive* ſe habere, ſed *poſitive* iis reſiſtendum eſſe; alias vero, ut per Probabiliſtas poteſt, ſequendo opinionem *minus probabilem*, id ei licere affirmet, certiſſime alterutra vice eſt peccaturus; nempe ſi revera id illicitum ſit, tunc dum id dicet eſſe licitum; ſi vero ſit licitum, tunc dum dicet eſſe illicitum. Par enim peccatum eſt *bonum malum dicere*, quod Deus præcipit vel non prohibet; ac *dicere malum bonum*, quod Deus prohibet: par *interficere animas quæ non moriuntur*; ac *viſicare animas quæ non vivunt*. *Pro eo, quod mœrere feciſtis cor iuſti mendaciter, quem ego non contriſtavi; & confortaſtis manus impii, ut non reverteretur a via ſua mala, & viveret, propterea &c.* Ezechiel. 13.

§. VII. Neque vero *materialis* ſolum, ut Probabiliſtis loqui familiare eſt, eo caſu futura eſt legis transgreſſio; ſed *formalis*. *Formaliter* quippe revera legi contraitur, quoties id agitur, quod certum eſt legi adverſari, uti

hic

hic accidit. Neque officit, quod tu certus non sis, quodnam ex duobus adversetur; satis enim est certum te esse adversari alterutrum, ut proinde si utrumque agas, eo ipso *formaliter* alteratura vice legem transgrediaris.

§. VIII. Hæc in Confessario ut dictum locum habent. Nunc quam aliis etiam exitiosa sit hæc morum doctrina; quamque falsa securitas, quam sectariis suis promittunt Probabilistæ, videndum. Nihil apud eos tam decantatum, ac prudenter agere quemque, nec peccare, qui opinionem etiam *minus probabilem* faventem libertati amplectitur. Sed pace eorum dixerim, nihil tam falsum. Nolo sine ratione loquenti mihi credas R. Pater. Adverte tamen animum.

§. IX. Eodem recidunt, idemque important omnes hæ loquendi formulæ: *esse quidpiam illicitum, esse prohibitum, existere legem id prohibentem.* Hæ vero sin idem important, at manifeste tamen ex prioribus deducuntur: *imprudenter id acturum quempiam, transgressurum legem agendo, peccaturum.* Omnibus his idem *certitudinis* aut *probabilitatis* gradus inest, qui uni. Itaque si *probabilius* sit contractum v. g. aliquem esse *illicitum* (etsi forte *probabile* etiam sit, *minus* tamen, eum esse *licitum*) oportebit nihilominus *probabilius* esse, *eum esse prohibitum, existere legem eum prohibentem, imprudenter quempiam sic contracturum, violaturum legem contrahendo, peccaturum.* Quodsi igitur duæ eiusmodi circa talem contractum occurrant opiniones, quarum al-

tera asserens eum *licitum* sit *minus probabilis*; altera vero asserens *illicitum probabilior*, & nihilominus quispiam eum contractum ineat; manifestum est, *probabilius* tunc fore, talem *sic contrahendo imprudenter acturum, legem violaturum ac peccaturum.* At hoc ipso etiam *certo imprudenter acturus est, certo legem violaturus, certoque peccaturus.*

§. X. Miraberis hic fortasse, quo artificio ex mera *probabilitate* peccati, eius *certitudo* hic effici possit? at mirari desines, si de quo peccato id adseratur, cognoveris. Distinguendum nempe hic est, quomodocumque demum, peccatum, quod tunc is *probabilius* solum admissurus dicitur, qui sic contraheret; & quod certo esset admissurus. Peccatum, quod *probabilius* solum sic contrahens admitteret, illud foret, quod legi talem contractum prohibenti *directe* adversaretur; quæ cum *probabilius* solum, non vero *certo* exstitura in nostro casu ponatur, non posset etiam ea actio dici *certa*, sed *probabilior* solum legis transgressio. Nam qualis est *legis existentia*, talis etiam ceteris paribus est illius *transgressio*, eiusdem nempe *certitudinis* gradus. Peccatum autem, quod sic contrahens *certo* admitteret, oriretur ex transgressione legis vetantis omne illud fieri, quod *probabilius* est esse peccatum, quam non esse, seu vetantis *probabiliori* peccati periculo se exponere. Cum enim existentia huius legis *certa* sit (perinde enim est in moralibus se peccandi periculo exponere, ac peccare) cumque nostrum

noſtrum caſum complectatur, liquido eruitur, *certam* etiam tunc fore eius transgreſſionem. Et vero ſi ſola *incertitudo* peccati id operatur, ut agere quidpiam *certum* ſit peccatum, quod *incertum* eſt eſſe peccatum ſecundum illud celebre S. Auguſtini Libr. 1. de Bapt. contra Donat. cap. 5. *Accipere in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum;* ſi inquam nudæ *incertitudinis* ea vis eſt; multo maius de *probabilitate* in caſu noſtro id dicendum, ubi ſcilicet non tantum *incertum*, ſed *probabilius* etiam eſt eſſe peccatum.

§. XI. At inquies *incertitudo* illa; imo & *probabilitas maior* peccati omnis removeri ab ea actione poteſt *per judicium reflexum*, vi cuius certo mihi conſtet *prudenter me acturum, neque peccaturum*, aut *legem violaturum*, niſi *materialiter* forte, cuiusmodi tamen *materialis legis violatio* etiam contingere poteſt in eo, qui ex ſententia *probabiliori* operatur; ſi ea reapſe *falſa* ſit. Hæc ſcilicet eſt arx, hæc munitio, quo omnes Probabiliſtæ ſe recipiunt; ſed facile hinc quoque deturbandi. Nam ut taceam, hæc ad ſummum locum habere poſſe reſpectu legis *directe* contractum e. g. aliquem prohibentis non vero prohibentis inire contractum, quem *probabilius* eſt eſſe peccaminoſum; inſuper, qualecumque hic fingatur *reflexum judicium*, numquam tamen id efficietur, ut *certitudo* aliqua *moralis* honeſtatis ei actioni hinc accedat. Non enim hæc

ei maior conciliari poteſt, quam inſit illis ipſis *reflexis judiciis*; quæ tamen adeo nulla iis ineſt, ut maximo potius *incertitudinis* vitio laborent, ne dicam *falſitatis*.

§. XII. Nam quod intra ea referri ſolet præcipuum: *Omne judicium probabile, eo ipſo quod ſit probabile, eſt prudens*, merus eſt paralogiſmus, & petitio ut vocant principii. Hoc enim ipſum eſt quod quæritur, an omne judicium *probabile* abſolute ſemper ſit *prudens*, maneatque adeo *prudens*, etiamſi pro parte oppoſita *fortiora* rationum momenta militent? quod tamen merito negatur. Quantumvis enim *grave* ſit, quod intellectum afficit, partis alicuius motivum; tamen ſi in contrarium aliud *gravius* menti ſuccurrat, numquam *prudens* erit quod ex priori illo motivo de actionis honeſtate feretur judicium; etſi *prudens* omnino futurum ſit, ſi pro parte contraria aut *nullum*, aut non niſi *leve* occurrat. Non mihi neceſſe eſt hanc in rem multa colligere; ſatis eſt ad naturæ vocem, communemque ſenſum hominum mentem adhibere, qui non aliter negotia ſua ſibi curanda putant, nec prudenter, niſi ita ſe geſſerint, alios agere exiſtimant. Sic nauta in ſuſcipienda navigatione, viator in agendo iter, belli dux in inſtruenda acie, aut conſerendis manibus cum hoſte ſibi caverit, capite hic iſtiusmodi ſuam prætentam prudentiam luiturus, ſi *opportuniorem* pugnæ locum aut tempus forte non elegerit, minime vero ſi nullus *opportunior* ſe obtuliſſet.

§. XIII.

§. XIII. Peropportuna autem hic se offert occasio detegendi futilitatem responsionis, quam his, similibusque *a pari* argumentis adversarii adhibere solent, quod superiori capite, alibi nos facturos spopondimus. Aiunt nempe securitatem vel periculum viæ e. g. non dependere a viatoris judicio, quamvis *probabili*, imo ne *probabiliori* quidem; sed indèpendenter prorsus ab hoc utrumque viæ inesse: unde nisi via quam ingreditur, reapse secura sit, subibit nihilominus periculum viator, & incidet in latrones, nec per hoc periculo medebitur, quod nullum hic subesse *probabiliter* existimarit. At vero honestas & securitas operationis dependet a judicio operantis, quod proinde si *probabile* sit, hoc ipso etiam securitatem & honestatem tribuet actioni, etiamsi hæc forte in se inhonesta sit, & legi difformis.

§. XIV. Sed non advertunt homines boni, dicendo hoc nihil se dicere, extraque chorum saltare. Non enim hic quæritur, an securitas viæ in se dependeat a judicio viatoris, nam hæc ab eo omnino non dependet, & perinde is opinione sua securam eam efficere nequit, ac nequit obiectum honestum in se efficere, honetatemque obiectivam actioni tribuere operans ex sententia *probabili*, si ea forte in se turpis sit, & legi difformis. Sed quæstio est, an *prudenter* viam illam electurus sit viator, quam *probabiliter* quidem existimat esse securam; *probabilius* tamen pervidet insessam esse a latro-

nibus

nibus, ſi alterius ingrediendæ, quæ *probabilius* inſeſſa a latronibus non eſt, habeat facultatem? Sicut ergo e legibus prudentiæ is minime acturus eſt, ſi *minus probabiliter* ſecuram ingrediatur, etiamſi forte hæc in ſe revera ſecura ſit, & ſecura fuiſſe ſubinde deprehendatur: ita nemo huius laudem ei tribuerit, qui contractum inire malit, quem *minus probabiliter* ſolum, eſſe licitum perſuaſum habet, atque ita *minus probabilem* ſententiam ſequatur, relicta *probabiliore;* quidquid ſit deinde de *obiecto* talis contractus, aut *honeſtate obiectiva* actionis in ſe ſpectatæ, etiamſi nempe hæc poſtea legi minime difformis fuiſſe cognoſcatur. Non enim prudentia & honeſtas *formalis* actionis, de qua ſola hic controvertitur, ex eventu aut ſtatu rei in ſe æſtimanda eſt; ſed ex motivis & argumentis, quibus quis inductus eſt ad aliquid eligendum. *Nihil iniquius in tuendo eſt, quam juſtitiam cauſæ ex eius eventu velle judicare.* Chryſoſt.

Caput XX.

Idem argumentum continuatur.

§. I.

Luculenta ſatis me puto attuliſſe momenta, quibus *probabiliſmi perniciem* a Corſino aſſertam, luce meridiana clarius quisque per ſe poſſit perſpicere. Sed multo luculentius id me ſpero facturum, ſi eum omnis corruptæ doctrinæ morumque *fontem* & *ſeminarium* eſſe evicero.

§. II.

§. II. Sanctum Augustinum non præclare satis de ea opinandi & agendi ratione existimasse, jam superius innueramus. Contendit nempe hic S. Pater, ea si semel pro regula assumatur, *omnia crimina defendi posse*, adeoque & patrari. Recte quidem, cum ex sententia Tullii Paradox. init. *Nihil sit tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile*, Qui ipse Lib. 4. Academ. quæst. cap. 24. *de Chrysippo* observat, *eum multa collegisse, quæ nos fallerent probabilitate magna.* Quod si id in quæstionibus, quas cognitionis appellant, usui venit; multo maiis in iis quæ ad actionem & mores referantur: imo in his tanto facilius, quanto humanum ingenium ad investiganda & excogitanda ea, quæ cum cupiditatibus & affectibus nostris cohærent, est promptius & acutius. Nam *voluntatis propensio*, ut inquit Augustinus Serm. 22. de tempore, *auctoritatem vitiis quærit, & quod malum est bonum, aut bono proximum esse svadet.*

§. III. Id vero est quod idem Augustinus etiam Libr. 3. contra Academicos contendit: Illustrior est locus, quam ut hic integer inseri non mereatur, ut legitur in Lovanienſi editione Tom. I. Ita autem habet: *Quod si ergo aliquis adolescentium, cum hos audierit dicentes: turpe est errare, & ideo nulli rei consentire debemus; sed tamen cum agit quisque, quod ei videtur probabile, nec peccat, nec errat: illud tantum meminerit, quidquid occurrit vel animo vel sensibus, non pro vero esse approbandum. Id igitur audiens adolescens, insidiabitur*

bitur pudicitiæ uxoris alienæ. Te te consulo M. Tulli: de adolescentium moribus, vitaque tractamus, cui educandæ atque instituendæ omnes illæ tuæ litteræ vigilaverunt: Quid aliud dicturus es, quam non tibi esse probabile ut id faciat adolescens? At illi probabile est. Nam si ex alieno probabili vivimus, nec tu debuisti administrare rempublicam, quia Epicuro visum est non esse faciendum. Adulterabit igitur ille juvenis conjugem alienam. Qui deprehensus si fuerit, ubi te inveniet, a quo defendatur? Quamquam etiamsi inveniat, quid es dicturus? Negabis profecto. Quid si tam clarum est, ut frustra inficiere? Persvadebis nimirum tamquam in Cumano gymnasio atque adeo Neapolitano, nihil eum peccasse, imo etiam nec errasse quidem. Non enim faciendum esse adulterium pro vero sibi persuasit; probabile sibi occurrit, secutus est, fecit, aut fortasse non fecit, sed feciſſe sibi visus est. Iste autem maritus homo fatuus perturbat omnia litibus pro uxoris castitate proclamans, cum qua forte nunc dormit & nescit. Hoc illi judices si intellexerint, aut negligent Academicos, & tamquam crimen verissimum punient; aut eisdem obtemperantes, verisimiliter hominem probabiliterque damnabunt; ut jam quid agat iste patronus, prorsus ignoret. Cui enim succenseat, non habebit, cum omnes nihil se errasse dicant, quando non assentientes id quod visum est, probabile fecerint. Ponet igitur personam patroni, & Philosophi consolatoris suscipiet. Ita facile adolescenti, qui jam tantum in Academia profecerit, persuadebit, ut se tamquam in somnis putet esse damnatum. Sed vos me jocari arbitramini? Libet deierare per omne Divinum, nescire me prorsus, quomodo iste peccaverit, si quisquis id egerit quod probabile videtur, non peccat: nisi forte in totum aliud esse di-

cunt

cunt errare, aliud peccare, ſeque illis præceptis egiſſe ne erremus, peccare autem nihil magnum eſſe duxiſſe. Taceo de homicidiis, parricidiis, ſacrilegiis, omnibusque omnino, quæ fieri aut cogitari poſſunt flagitiis aut facinoribus quæ paucis verbis, & quod eſt gravius, apud ſapientiſſimos judices defenduntur: nihil conſenſi, & ideo non erravi. Quomodo autem non facerem, quod probabile viſum eſt? Qui autem non putant iſta probabiliter poſſe perſvaderi, legant orationem Catilinæ, qua patriæ parricidium, quo uno continentur omnia ſcelera perſuaſit. Jam illud quis non videt? Ipſi dicunt nihil ſe in agendo ſequi niſi probabile, & quærunt magnopere veritatem, cum eis ſit probabibe non poſſe inveniri. O mirum monſtrum! ſed hoc omittamus; minus id ad nos, minus ad vitæ noſtræ diſcrimen, minus ad fortunarum periculum pertinet. Illud eſt capitale, illud formidoloſum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, ſi hæc ratio probabilis erit, cum probabile cuique viſum fuerit faciendum, tantum nulli quaſi vero aſſentiatur, non ſolum ſine ſceleris, ſed etiam ſine erroris vituperatione committatur.

§. IV. En germanam, etſi foedam deformemque *probabiliſmi* ſobolem! en uberes doctrinæ illius fructus! Ac ne quis fortaſſe exiſtimet Auguſtinum hæc ex ingenio ſuo duntaxat compoſuiſſe, temereque tam monſtruoſum partum huic Deûm Matri ſuppoſuiſſe, ad proxime lapſum ſæculum animum reflectat, & nimis quam verum id deprehendet. Quæ enim non opinionum portenta, quæ circa morum

dilci-

disciplinam dogmata non ex hac vaga opinandi ratione sunt enata, te etiam fatente *impia, scandalosa, perniciosa, damnata, scripturæ & Conciliis adversa*, ipsis etiam *ethnicis*, nedum Christianis *detestanda?*

§. V. At non hæc monstra fortassis *probabilismum* agnoscunt parentem? Mirum vero, si adulterium aliaque turpiora facinora apud Augustinum agnoscant, refugiant vero ista aliquanto honestiora. Sed de hoc sequenti capite ex instituto agemus. Hic aliud quidpiam succurrit.

§. VI. Nempe dignos quidem laude esse Recentiores Probabilistas, quòd istiusmodi *perniciosas* sententias, ut tu protestaris, *damnent & exercentur*, postquam eæ Romani fulminis afflatæ sunt telis; sed esse tamen, cur quis ingenuum magis circa hoc animum in iis requirat. Nam si eas opiniones tantopere abominantur, qui fit amabo, quod earum auctores cum iisdem gemmis novis typis excudi, & ita Christianorum manibus teri patiantur, nihil admodum de iis repurgandis, & amovendo a simplicium animis offendiculo solliciti? Homines scilicet, qui in resecandis iis ex Classicis Latinæ linguæ Scriptoribus, quæ juventuti teneræ obesse posse videntur, tam laudabilem operam navarunt, eosque truncatos potius, quam integros, sed nocituros edendos curarunt? In promtu sunt exempla. In editionibus Theologiæ P. Pauli Laymanni complures annos post damna-

tas

tas propositiones adornatis etiamnum hæc leguntur Libr. II. tract. 3. cap. 13. num. 5. *Sexto resolves fas esse famulo feminam, cum qua herus peccaturus est, per januam intromittere, facem præferre, lectum sternere sicuti docent Sanchez cit. cap. 7. num. 14. Navarrus, Rodriquez, Azor. ll. mox citandis. Quia huiusmodi materialis cooperatio satis remota est, & sine ea peccatum nihilominus committeretur.* Et cap. 10. num. 4. hæc: *De morte parentis gaudere non est licitum, quatenus ea malum personæ est, nam id ad hominis odium spectat; attamen fas est gaudere de morte parentis, quatenus ea tibi commoda est propter hæreditatem.* Libro vero IV. tr. 3. cap. 14. num. 7. sequentia: *Juramentum amphibologicum licet proprie periurium non sit, imo omni culpa careat, si justa ita jurandi causa subsit ad veritatem aliquam dissimulandam, est tamen illicitum, & quodammodo periurium, si sine justa necessitate fiat. — — Quinimo tametsi ponamus locutionem aliquam non esse vere ambiguam, sed vel suapte institutione, vel ex circumstantiis ac modo loquendi determinatam ad unum eumque falsum sensum; si tamen iurans animo suo non intendat illum confirmare juramento, sed alium, quamvis alienum a verborum sensu, vere periurus non est.* Similia etiam reperias *de Simonia* Libr. IV. tr. 10. cap. ult. §. 2. & 3. *De usura* Libr. III. tr. 4. cap. 16. *De Regulari iniuste reiecto ab Episcopo* Libr. V. tr. 6. cap. 11. quæ omnia doctrinam continent in propositionibus damnatis alias confixam. Leguntur hæc inquam etiamnum in Auctore Casuistarum Germanorum facile Principe, qui

omnium manibus teritur & quem difficilius Germanis quam clavam Herculi excutias. Leguntur inquam ſine omni ſuſpectæ alicuius & perniciosæ doctrinæ nota appoſita, qua lectores Theologi non ſatis interdum exercitati, de ea cavenda moneantur. Prætereo hic minorum gentium Patres, inter quos Richardus Archdekinus ſerius etiam, hoc eſt poſt propoſitiones damnatas excuſus, ſui nihilominus ſimilis apparuit, tam ſordidus & lutulentus, ut Hercules in eo repugando induſtriam ſuam poſſit exercere. Neque minus tamen hic, quam prior a Confeſſariis legitur: quo fit, ut quod olim Iſaias cap. 30. optimo quidem omine futurum prædixerat, hic plane peſſimo *Tauri & pulli aſinorum, qui operantur terram, commiſtum migma comedant, ſicut in area ventilatum eſt.*

§. VII. Atqui hoc pejus eſt, quam quod dolet dumtaxat laudatus ſupra Pontaſiani Dictionarii Editor Venetus animadverſione 8. in menda Pontaſiana, cuius verba, cum alia huc ſpectantia contineant, hic reddere non erit a re alienum, prout ea reddidit Euſebius Amort in ſuis Controverſiis novis Moralibus. *Alexander VII.* inquit ille, *Innocentius XI, Alexander VIII, aliique Pontifices ſummi plurimas de morum regulis damnarunt propoſitiones, quæ in iisdem unde excerptæ fuerunt libris reperiuntur, ſolo charactere, in aliquibus ſtellula, aliove indicatæ ſigno, quo admonentur lectores, ut ab erroneæ doctrinæ veneno ſibi caveant. Et re ipſa easdem propoſitiones execrantur, ſi ut dicitur materialiter accipiantur, quando quidem ipſa do-*

ctrina, quæ in dictis propositionibus continetur, plures alii deciduntur casus. Et nibilominus imperiti lectores has resolutiones nullo distinctas signo ceu innocuas amplectuntur, eisdemque fidelium imbuunt, dirigunt-que conscientias. Hac ratione fit, ut adhuc non paucorum fidelium animæ proscripta ab Ecclesia, doctrina inficiantur. Quapropter veri Dei averent ex eiusmodi libris non modo damnatarum propositionum verba expungi, verum etiam ea omnia corollaria, quæ proscriptas propositiones consequuntur. Quod si præstabit (alloquitur Editor Venetus Augustanum) *summam & Ecclesiæ, cuius vota isthuc sane pertinent, & fidelibus utilitatem afferet, simulque ora obstruet Jansenistis. Iactant illi se quinque reiicere propositiones ut jacent; sed eas aut reperiri in Iansenii libro, aut in sensu Iansenii continere errorem, pernegant. Nos vero Catholici non modo ut jacent, sed & in libro Iansenii exstare, & in sensu Iansenii damnatas defendimus, idque luculentis argumentis evincimus. Nobis dumtaxat negotium facessunt, & Iansenistis ansam cavillandi præbent, non pauci rei moralis tractatores. Hi nobiscum sophismata labefactentes Iansenistarum, dum similes in propria causa morum versant controversias, eo affectu erga illos scriptores, qui a suis partibus sunt, tanguntur, ut pro illorum defensione à cuiuscumque damnatæ doctrinæ nota, paradoxa & sophismata excogitaverint. Summopere enim verentur, ne propriæ factionis auctores plurimum amitterent, auctoritatis & existimationis, si semel concederetur, illos proscriptas docere propositiones: quare in hac causa ad solitum se recipiunt asylum, non secus ac Iansenistæ, scribentes: Alexandrum VII. Innocentium XI, aliosque Pon-*

tifices propoſitiones in morum materia damnaſſe non in ſenſu Auctorum moralium ſeu Summiſtarum, ſed ut jacent, vel ut a delatoribus alteratas, haud quaquam vero ut in libris exſtant, Et tamen luce meridiana clarius eſt, præfatas propoſitiones ſyllabatim in Caſuiſtarum libris reperiri ſine ulla moderatione; & non raro quæ antecedunt vel ſequuntur, peiora ſunt. Quin ipſi quandoque Caſuiſtarum Apologiſta damnatas propoſitiones commentantes, ut ſuis Caſuiſtis conſulant, proſcriptam doctrinam tot involvunt diſtinctiunculis, ut eamdem crambem novis adiectis condimentorum fucis comedendam parent, exbibeantque. Ab eiusmodi malis & erroribus quorumdam Caſuiſtarum, qui communibus teruntur manibus, libros ſepoſita partium affectione, omnibusque humanis rationibus ſublatis expurgari ad maximam fidelium utilitatem, Romanæ Eccleſiæ decorem, & ad hæreticorum potiſſimum Ianſeniſtarum confuſionem, percupiunt omnes, qui ſanioris doctrinæ flagrant amore. Ita ille; quam vere autem maritoque, liquere poteſt ex decreti verbis, quo Innocentius XI ſexaginta quinque propoſitiones die 2. Martii 1679. damnavit; & deinceps eas defendi vel edi vetuit: *Quicumque autem cuiusvis conditionis, ſtatus & dignitatis illas vel illarum aliquam conjunctim vel diviſim defenderit, vel ediderit, vel de iis diſputative publice aut privatim tractaverit, vel prædicaverit; niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem latæ ſententiæ, æqua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.*

CAP.

* * * * * * * * * * * * * *

CAPUT XXI.

Quomodo laxæ illæ propositiones a summis Pontificibus confixæ e probabilismi doctrina enatæ sunt, ostenditur.

§. I.

Si nullum aliud suppeditaret argumentum, laxas illas circa morum disciplinam opiniones a Sede Apostolica proscriptas, suos *probabilismo* potissimum debere natales; at puto hoc unum firmissimi præiudiciis instar esse posse, quod ante invectam in scholas *probabilismi* doctrinam, incognita in Ecclesia Dei fuerint tot morum populatrices sententiæ, quæ postea brevi temporis spatio catervatim Christianam rempublicam pervaserunt. Id quippe manifesto indicio est, radici illi foecundissimam quamdam vim inesse oportere, a qua tam densa surculorum silva potuerit pullulare. Ita enim vero res habet.

§. II. Nam quis dubitet hinc nativa facilitate ortas eas propositiones, quæ *ministro in Sacramentorum administratione, Judici in ferenda sententia, infideli in retinenda religione, minus probabilem* etiam sententiam amplectendi liberrimam potestatem faciebant? Fuerunt equidem complures, qui huiusmodi consectariorum absurditatem pernoscentes, eos casus a generali illa venia excipiendos sibi putarunt; sed ab ipsis gregalibus suis sunt explosi. Et vero,

ſi explorata eſt, ut contendunt Probabiliſtæ, principii eorum veritas de licito opinionis *minus probabilis* uſu, quoties de operationis honeſtate verſatur quæſtio; non video qua ratione eiusdem conſecutionem doctrinæ in *adminiſtro ſacramentorum, in Judice, & infideli* poſſint declinare, hoſque ſolos illi *nimium gravi* (ex eorum formulis loquor) *& humanæ fragilitati pæne intolerabili jugo, probabiliora* aut *tutiora* ſemper ſectandi addicere. Fortaſſe non immerito de vi injuſte ſibi illata iidem contra eos queri poſſint. Deierabunt enim, in ſe quoque non de alio, quam de honeſtate operationis agi; fruſtraque ſibi opponi, quod *valor Sacramenti* aut *veritas Religionis* a noſtris opinionibus non pendeat: hoc enim ultro ſe fateri, nec contendere, quemquam opinione ſua hæc iis poſſe tribuere; ſed rationem rogare ſe, quam ob rem fas ipſis non ſit per *reflexum* illud *prudentiale judicium*, honeſtatem ſuis actionibus tribuere, immunitatemque ſibi a peccato polliceri, ut polliceri poſſet is, qui laborans ignorantia invincibili aut ſacramentum in ſe nullum efficeret, aut perperam judicaret, aut denique falſam religionem amplecteretur. In hoc R. Pater diſpar ratio, duriorque eorum conditio foret oſtendenda præ aliis, qui opinionem *minus probabilem* amplexi, ad illam ignorantiæ invincibilis aram ſolent provolare. Jure id hic a te exigere poſſe videor, quando quæ vulgo eam in rem afferri ſolent, minime ſatisfaciunt.

§. III.

§. III. Nam quod de *sacramentorum administro* dicunt, expositum tunc iri sacramentum periculo frustrationis, quod facere haud liceat: regeret mox aliquis ex primis illis sententiæ huius patronis, id intrinsecus malum non esse, *in casu necessitatis*, ubi facultas non est secundum opinionem *probabiliorem & tutiorem* sacramentum ministrandi, ita facere liceat, & dubiam e. g. materiam adhibere. Igitur ministratio sacramenti ex opinione minus probabili non est *absolute & simpliciter* in se turpis & inhonesta, sed *respective* solum, dum scilicet secundum opinionem *probabiliorem tutioremque* potest ministrari. Eodem igitur modo turpis & illicitus alias erit opinionis *minus probabilis minusque tutæ* usus, dum cum altera *probabiliori & tutiori* concurret; quod tamen ipsi non admittunt.

§. IV. Dicet deinde, periculum illud, cui minister in nostro casu sacramentum expositurus asseritur, fore tantum *materiale*, non *formale*; licere autem peticulo *materiali* per Probabilistas se exponere: dum adest justa causa cujusmodi etiam hic prætexi potest ipsa opinio etsi *minus*, *vere* tamen *probabilis*, quam gravi motivo niti oporteat.

§. V. Quod si quis forte (ut etiam solent) *damnum tertii* hic causetur, non eum dimittet noster, quæretque, cur prudentiæ & honestatis laude nihilominus frustranda sit ea actio, ex qua *nullum damnum* in eum, qui sacramentum

ſuſcepturus eſt, redundaturum *prudenter* exiſtimatur, cum *probabile* ſit ſacramentum ſic collatum valiturum? cur inſuper, etiamſi ſacramentum ſuſcepturus in hoc *damnum* conſentiat? Non hæ R. Pater ſunt tendiculæ, quæ telæ araneorum inſtar nullo negotio rumpi poſſunt; ſed vires opus ſunt & nervi, plurimusque ſanguis ab iis ſe expediendum: quæ an tibi inſint, potes ſi lubet, experiri.

§. VI. Non melior eſt *altera*, quam in exemplo *Judicis* acuti homines videre ſibi videntur differentia. Si enim ſecundum opinionem *minus probabilem* ferre ſententiam *Judici* eo non licet, quod ad hoc electi (ut hodierni Probabiliſtæ argutari ſolent) & in republica conſtituti ſint *Judices*, ut ſecundum leges, meritaque cauſæ jus patribus dicant, & ſecundum eum dent litem, cui æquitatem magis compererint ſuffragari: multo magis de *Confeſſariis* id dicendum, quorum præcipua muneris portio eſt *diſcernere inter leprum & lepram, ſanctum & profanum, pollutum & mundum*; qui Divinæ Juſtitiæ miniſtri conſtituti, inter Deum & pœnitentem veluti ſedens *Judices*, ut quantum, vel an omnino jus Dei per eum læſum ſit, diſcernant. Quomodo ergo his fas erit, ubi *probabilius* hoc jus læſum eſſe, vel in poſterum lædi poſſe perviderint, pronuntiare tamen audacter nec eſſe, nec iri læſum ob opinionis *minus probabilis* ſuffragium, & ita cauſam homini adverſus Deum adiudicare? An in hoc tremendo tribunali, & onere Angelicis etiam humeris formidando

midando amplior aliqua iis est facultas connivendi, quam profano Judici, dum de *stillicidio*, *suggrundis*, *luminibus*, *pugillo agri* disceptatur? vel facultas omnino, *Judicis* munus altero illo *Arbitri* mutandi, inter quos Seneca Libr. 3. de Benef. cap. 7. hanc statuit differentiam, quod *illum* seu Judicem *formula includit, & certos quos non excedat, terminos ponit; huius* seu Arbitri *libera & nullis adstricta vinculis religio & detrahere aliquid potest, & adiicere, & sententiam suam non prout lex aut justitia suadet, sed prout humanitas & misericordia impulit, regere.* Saltem quod Romanis Judicibus in more positum erat, facerent: qui cum in causa obscura atque ambigua versarentur, neque constaret quid certo esset pronuntiandum, illo *non liquet*, item *amplius* utebantur, quo quidem proferendum esse judicium, & amplius de eo tractandum significabant.

§. VII. Hæc omnia R. Pater constant, si Deum non plus, quam similem aliis, nobisque forte æqualem in hoc sacro judicio daremus esse actorem, qui cum nobis de jure, ex eiusque formulis disceptare liceret: quum tamen multo excellentiores illius hac in re sint partes quam alicuius humani litigatoris. Qui enim sumus nos, qui *velimus cum Deo judicio contendere?* aut ob imaginariam libertatis nostræ possessionem nescio quæ præiudicia in rebus dubiis contra eum afferre, ne reos nos ei dedere cogamur? *Cum Deo disputare velle*, verba sunt S. Bonaventuræ Libr. 2. de profectu Religios.

ligioſ. cap. 41. *ſtultum eſt, & quaſi velle convincere eum, ut non debeat judicare hoc eſſe peccatum mortale, quod noſtra opinio non vult pro mortali habere. Sua æſtimatio eſt regula juſtiæ infallibilis, non noſtra argutoſa opinio, quam noſtram conſcientiam appellamus.*

§. VIII. Denique quod de *infideli* afferre ſolent, eodem, hoc eſt ad nihilum, res pariter redit. Efficient id unius P. Laymanni verba. Cum hic Auctor Libr. II. tr. I. c. IO. num. 3. ſtatuiſſet, *Hæreticos, Turcas &c. quamdiu eorum Secta quam profitentur, credibilior vel æque credibilis, ſeu probabilis ipſis apparet, non debere, imo nec poſſe ſine nota imprudentiæ atque inconſtantiæ, ſua deſerta noſtram Religionem amplecti;* ſubinde tamen concedit, quod ſi facta diligenti inquiſitione Religio noſtra *credibilior* ſeu *probabilior*, quam aliæ omnes ſectæ ipſi manifeſto appareat, eos omnino obligatos fore ad ſectam ſuam deſerendam, noſtramque fidem amplectendam. Nihilominus quia prævidebat ſibi poſſe regeri, tales adhuc tunc in ſua ſecta *prudenter* perſeveraturos, eo quod hæc illis appareret *probabilis*, etſi noſtram *probabiliorem* eſſe agnoſcerent; hinc ut eam difficultatem occupet, ita pergit: *Licet tali homini ſua religio ſpeculative probabilis adhuc appareat, practice tamen ſeu in ordine ad operationem, ut eam retinere aut ſectari licitum ſit, non poteſt videri probabilis, dum altera probabilior ac credibilior judicatur: quin potius in ordine ad praxim, ut eam ſectari aut retinere poſſit,*

ſit, nihil probabilitatis habet, cum evidens ſit illam Religionem præ aliis acceptandam eſſe, quam Deus maioribus notis ſeu argumentis adornavit. Accedit quod impoſſibile ſit intellectum judicativum retinere fidem, quæ ipſi poſt diligentem inquiſitionem minus veriſimilis apparet, quam eius oppoſita. Quia fides præſertim Divina ratione ac prudentia nitì debet: nulla autem eſt ratio inter duas contradicentes aſſentiendi parti, quæ minus probabilis videtur.

§. IX. Qui hæc aliorum ignarus legeret, incredibile ei videretur, potuiſſe hunc Auctorem, alias ſatis ſubacti judicii Virum, Probabiliſtarum commentum initio ſui operis, ut facit, ſtabilire; veniamque cuique facere, dum volet, alterutram ex duabus opinionibus probabilibus, ſine omni *imprudentiæ* atque *inconſtantiæ nota* amplectendi, quam tamen inurit *Hæretico* aut *Turcæ*, ſi a ſua *probabili* ad aliam *æque probabilem* religionem deſiliret. Adeo nempe toti huic illius commentationi nihil ineſt, quod, quid *religio actione* interſit, commonſtret; nihil quod in Probabiliſtas non queat detorqueri. Denique priora ac poſteriora ita inter ſe diſſident atque diſcordant, ut qua ratione ad concordiam adduci poſſint, non videam. Te quidem feciale in conſenſum non coaleſcent, tam incurioſo, quam infelici, qni in Corſino vix in ſpeciem pugnantia minime tamen componere potueris.

§. X. Semper hæreticis aliisque a fide noſtra alienis Sectariis anſa in manibns relinque-

tur-

tur, præconibus Miſſionariis illudendi, niſi commune Probabiliſtarum telum, quæ adverſus eos uti poſſint, illis eripiatur, imo & illud, quo inter duas opiniones *æque probabiles, benigniorem, faventemque libertati* amplecti fas eſſe contendunt. Nam audi quæſo, quid Patri Valeriano Magni Capuccino, miſſionibus æque, ac inimicitiis præſertim veſtris claro Viro repoſuerit, præiudicata hac Probabiliſtarum opinione imbutus Baſanomenus Lutheranus, ut refert Caramuel in ſua Fundamentali Theologia fund. 46. caſ. 10. Audierat is ſæpe P. Valerianum inculcantem, forte etiam in eius *Regula credendi* legerat: *vel eſſe redeundum ad Romanam Eccleſiam, vel recedendum a Chriſto.* Negavit Baſanomenus & dicto illi ita occurtit; *Chriſtianiſmus probabiliſſima religio eſt, & ſub ipſo dantur ſectæ antiquiores, juniores, ſeveriores, benigniores, univerſaliores, minus univerſales, & præcipue Romana, Lutherana, Calviniana, quæ ſunt vere probabiles: ergo mihi Lutherano non eſt neceſſario redeundum ad Romanam Eccleſiam, aut ſecedendum a Chriſto; nam prater Romanam religionem, cui prababilitatem non nego, etiam Lutherana eſt Chriſtiana & probabilis, & multo Romanâ benignior.* Aptiſſime nempe ex Probabiliſtarum regula. *Hoc tu quidem non ſentis; ſed hoc ſequitur illa, quæ ſentis. Muta ergo antecedentia, ſi vis cavere ſequentia.* S. Auguſt. Libr. II. de adult. conj. cap. 4. Nam ut de Probabiliſtis invidioſa quædam conſectaria opinionis ſuæ principalis de-

fugi-

fugientibus dicere ſolitus erat Caramuel: *Vel omnia debent transglutire, vel a principali opinione diſcedere.*

CAPUT XXII.

Idem alia ratione, ac inſuper auctoritatibus confirmatur.

§. I.

Quas ſuperiori capite propoſitiones de *miniſtro Sacramentorum, Judice, & infideli,* e damnatis attuli, *nativa facilitate* ut dictum, *directo, immediate*, ſine omni ambage ex univerſali Probabiliſtarum principio fluunt. Deinceps, quomodo ceteræ hinc manarint, expendendum. Nempe debent quidem & eæ ſuam illi radici originem; ſed ita, ut alia quoque doctrinæ eorum capita in partes vocare neceſſe fuerit, opem veluti iis educendis allatura; cuiusmodi fere eſt illud: *motivo quocumque gravi, imo & autoritate opinionem practice reddi probabilem.* Hoc enim poſito difficile plane non fuit ingeniis non omnino ſtolidis ea efficere, quæ ſi ipſi in noſtrum ævum delati fuiſſent, procul dubio etiam ut *perniciosa* & *ſcandaloſa* execrarentur. Jocemur non nihil, & fabulam ut geſta eſt, ſuis abſolutam partibus lectori exhibeamus, ne gratis fingere hæc nos putet.

§. II. Emanarat an. 1622. die 30 Auguſti a Gregorio XV. P, M. Conſtitutio adverſus Confeſſarios, poteſtati Eccleſiaſticæ denuntiandos, *qui perſonas, quæcumque illæ ſint, ad*

inho-

inhoneſta, ſive inter ſe, ſive cum aliis quomodolibet perpetranda in actu Sacramentalis Confeſſionis, ſive ante, vel poſt immediate, ſeu occaſione vel prætextu Confeſſionis huiusmodi, etiam ipſa Confeſſione non ſecuta, ſive extra occaſionem Confeſſionis in confeſſionario, aut in loco quocumque, ubi Confeſſiones Sacramentales audiantur, ſeu ad Confeſſiones audiendas electo, ſimulantes ibidem Confeſſiones audire, ſollicitare, vel provocare tentaverint, aut cum eis illicitos & in honeſtos ſermones ſive tractatus habuerint. Non videtur Conſtitutio tam ſalutaris ſubtilioribus clauſulis muniri potuiſſe, ne interpretantium cavillis eluderetur, atque iſta. Nihilominus excogitavit ingenioſus Probabiliſta caſum, in quo dubium ſaltem foret, an locus eſſet denuntiationi: *ſi* nempe *Confeſſarius tribueret chartam pœnitenti in Confeſſione, poſtea tamen legendam, in qua eum ad Venerem incitaret?* Occurrit continuo menti, talem revera fore denuntiandum, eo quod *tradendo chartam jam ſollicitet; & inſuper irreverentia maxima exhibeatur Sacramento, ſi cum ſananda eſt anima, inſtrumentum tradatur, quo ſaucietur,* cuius tamen ſanctitati Gregorius maxime cautum voluit. Sed acutus homo invenit, quod reponeret: *odia eſſe reſtringenda; legem contra eum, qui eam clarius efferre potuit, & non extulit, eſſe interpretandam; non eſſe hanc ſollicitationem, ſed ſolum cauſam ſollicitationis; ſollicitationem eſſe motionem actualem voluntatis alienæ, cum autem in dato caſu pœnitentis voluntas non moveatur in Confeſſio-*

feſſione ſed extra, quando ſcilicet legit chartam, effici, in Confeſſione non fuiſſe factam ſollicitationem, nec proinde locum eſſe denuntiationi. Motiva hæc viſa ei ſunt non *levia* aut *tenuia*, ſed *gravia*; itaque ex juris ſui formulis audacter concluſit, non eſſe obligationem denuntiandi in præfato caſu Confeſſarium. At rurſum ei ſe injecit ſcrupulis: *hac ratione fraudem futuram legi, eamque eluſum iri ita, ut inutilis prorſus, veluti lunæ accolis lata ſit, reddatur.* Potuit hoc prima fronte percellere eius animum, ac tantum non proſternere; niſi colligens ſeſe iterum reperiſſet; quod labantem erigeret. Nempe, *non eſſe hoc facere fraudem legi, ſi Confeſſarius in committendo delicto ſibi caveat a circumſtantiis, quæ illum ſubmittunt Inquiſitoribus aut Epiſcopis; ſed eſſe hoc uti jure ſuo, & facere opus prudentiæ humanæ & cautelæ, per quam ei liceat infamiæ periculum declinare.* Hoc ſcuto tutus nihil jam ab argumentis opinionis contrariæ ſibi metuens perſtitit in ſententia, nec, ſcripto dumtaxat ſollicitatum ad denunciandum ſollicitantem obligandum putavit. Sic conſultus reſpondit aliis, & ut tam felix commentum aliis quoque uſui eſſe poſſet, litteris in ævum manſuris illud tradidit. Fuit forte amicus, qui hoc conantem moneret, *opinionem eam nondum videri probabilem, quod nemo hactenus eam tradidiſſet, ac proinde ne aliis obrepat, ab ea vulganda abſtinendum.* Sed callidus veterator paucis hominem abſolvit: *non poſſe eam opinionem plures habere ſuffragatores, quum in eum diem nemo eam Theologorum tractarit; neminem quidem ei adſtipulari adhuc, ſed neminem*

etiam

etiam adversari; fore ut ubi palam edita fuerit, plures eam amplectantur; defectum extrinsecæ probabilitatis solum hunc esse; imo ne hac quoque desit, cognitam sibi esse suam pietatem virtutem & doctrinam, spectatam etiam eamdem aliis; probabile esse unius dumtaxat viri talibus dotibus instructi suffragio opinionem quampiam effici probabilem; nihil proinde per reflexum judicium de illius honestate & licito usu dubitandum. Sed intervenit rursum alius, *falsumque & ad excusandas excusationes in peccatis excogitatam dumtaxat eam sibi videri doctrinam confessus, usui saltem suo pluriumque aliorum, cum typis vulgaturum negavit.* Hic vero fere homo non habuit, quod tam angusto pectori responderet. Sed nec hic suum eum ingenium destituit *probabilismo* egregie jam informatum. Monuit hunc meticulosum, *id non obstare, ne & ipse aliique tuto eam sequi possint; probabilis quippe etiam sit sententia, quæ doceat, licere probabilem opinionem amplecti, etiamsi hæc cui falsa videatur, modo in se sit probabilis: hoc proinde reflexo utatur judicio; ni faciat, ipsum sibi compedes injecturum, suaque culpa facultate eius sequendæ se privaturum.* Itaque confidentissime jam undecumque securus Casuista sententiam suam prodidit litteris, ut bonum tantum ad plures perveniret. Exscripsere hanc subinde alii, quod ille probe vaticinatus erat, & sic novella adinventio ad indubitatum etiam *extrinsecæ probabilitatis* gradum est evecta. Confessarii & ipsi Probabilistæ hunc legentes, quid nisi parerent maioribus & doctioribus, præsertim quum tot *reflexis judiciis* &

ipsi

ipſi eſſent inſtructi; & ſin ipſi nefanda hæc patrarent, at patrantibus ſaltem ne denuntiarentur, faverent? Si qui vero eſſent qui hæc improbarent, rei continuo graviſſimi criminis ſunt peracti. Nam vide quæſo hic admirabile iterum Probabiliſtarum artificium! Quum alias veniam dent Confeſſariis alterutram ex opinionibus probabilibus amplectendi; alias rurſum negant, & *Φαλαρισμὸν, carnificinamque conſcientiarum* vocant, ſi quis ſecundum *probabiliorem faventem legi* contra pœnitentem ferat judicium. Et revera videtur ex eorum doctrina conſequi, id fas non eſſe. Nam obligare pœnitentem in id, a quo ipſe *certo* liber eſt ac ſolutus, quid eſt niſi *ponere dulce in amarum; vaticinari in nomine Dei, quod ipſe non præcepit nec eſt locutus*; & Phariſæorum inſtar *alligare onera gravia & importabilia, & imponere in humeros hominum*, quibus horrendum væ in Scripturis denuntiatur? Nec elabuntur, ſi dicant, eo caſu fixum ſemper adhuc manere, pœnitentem ab onere denuntiandi *probabilius* non eſſe liberum, adeoque merito etiam a Confeſſario ad id adſtringi poſſe. Nam ſi ipſi *reflexis* ſuis *judiciis* tantum valent, ut is qui *minus probabiliter* etiam ad denuntiandum non obligatur, *certiſſime* tamen non obligetur: non video, quomodo non longe facilius efficere poſſint, ut nec *probabilius* obligetur; niſi forte tam firmi ſint ſtomachi, et duo hæc concoquere valeant: *certe aliquem non obligari, & nihilominus probabilius obligari.*

§. III. Sed quid ſi hæc phantaſiæ delirantis ſomnia contemnentes cordatiores Confeſſarii, nihilominus pœnitentes in dicto caſu adigere imperio ſuo ad denuntiandum obſtinarunt? miſeri ſunt contempti. Occupati enim ea Probabiliſtarum conniventia ipſi quoque pœnitentes, negarunt *tantum ſibi ſumere poſſe Confeſſarios, ut ſe ex probabilis opinionis poſſeſſione, licitoque eius uſu deturbarent; ſibi nunc eſſe ſerviendum; ſi renuant, alios ſe adituros, dum aliquem ſibi faventem inveniant.* Horum nempe omnium ampliſſimam ſuis probabilitâs domina dat poteſtatem. Hæc vero crebris experimentis maximo ſuo dolore edocti Confeſſarii noſtri quo ſe verterent? mirum ſi eorum nonnulli tot fracti cavillis, aut inutili labore fatigati, non etiam ipſi tandem ſuccubuerint, cedentes communi errori, qui Confeſſarios, pœnitentes, ipſaque adeo tribunalia occupaſſet. Sic malum vix ortum *crevit in mille*, & invaluit, communeque factum eſt, donec nervi ei omnes *gladio Spiritus* a Sede Apoſtolica ſucciderentur. Sic alia omnia in fertili illo probabiliſmi ſolo enata corroborata ſunt, a parvis initiis in væ grandes arbores effuſa. *Subter eas habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis earum converſabantur volucres cæli, & ex iis veſcebatur omnis caro* Dan. 4. Sic ſublatum ſignum licentiæ, & ars introducta omnes divinas humanasque leges eludendi; *homicidia, uſuras, furta, periuria &c.* cohoneſtandi; præſentiſſimo ſemper ad id parato remedio, *probabili*

aliqua

aliqua ratione, prodigioſisque illis *reflexis judiciis*, quæ nulli non vitio excuſando congrua fingi poſſent. His vero quid, niſi certiſſima animorum pernicies quoque, comes ire poterat, *cæcis cæco ducatum præſtantibus, & utrisque in foveam cadentibus?* Niſi forte nulla vel idcirco ex eorum Dialecticæ regulis ire poſſe crederetut, quod *probabile* eſſet, nullam ire. Sed jam, quomodo manifeſta hæc *probabiliſmi* conſectaria declinare tu R. Pater coneris, diſpiciendum.

§. IV. Fateris equidem §. 48. *nonnullos probabiliſmi patronos quasdam impias, ſcandaloſas, perniciosas, damnatas, Scripturæ & Conciliis adverſas docuiſſe ſententias;* ſed ut hanc infamiam ad *probabiliſmum* ipſum minime ſpectare evincas, ais, *has etiam docuiſſe Auctores aliquos negantes probabiliſmum.* Addam ego, quo ſubterfugio hoc tuo ſis tutior, non omnes etiam eas docuiſſe Probabiliſtas. Sed hoc poſtremum hinc ſolum factum eſt, quod iis doctrina propoſitionibus damnatis contenta falſa viſa ſit penitus, *nihilque probabilitatis* continere: aliter procul dubio pronuntiaturi, ſi vel *minus probabilem* agnoviſſent. Quamvis ne his quidem jure eam ſequendi ſive ſe, ſive alios abdicarint, ob admirabilem illam quidvis efficiendi vim, *reflexorum judiciorum* propriam.

§. V. Quod autem ad prius illud a te adductum attinet, non una inter utriusque moralis

ralis ſectatores eſt differentia. Nam quod Severiores quidam etiam nonnullas e damnatis propoſitionibus multo ante docuerint, id ex communi eorum principio ortum æque non traxit, ſicut traxit apud molliores ex eo, quod ipſi dedicarunt. Neque enim, quod nefas eſſe dicatur ſequi opinionem *minus probabilem minusque tutam*; fas vero *probabiliorem*, etiamſi eadem fuerit *minus tuta*, hinc conſequitur, *licere v. g. furi etiam in gravi ſolum neceſſitate furari*, aut *puellæ ad arcendam infamiam, abortum fœtus nondum animati procurare*. Ex priori quidem principio minime, ut patet, cum in eo, non quid *licitum*, ſed quid *illicitum* ſit, definiatur: ex altero vero eatenus ſolum, quatenus pro certo ponitur, doctrinam geminarum illarum propoſitionum libratis exacte momentis omnibus, longe *veri ſimiliorum* iis apparuiſſe. Quod an ita contigerit, aut contingere omnino potuerit, viderint alii. Ad minus nemo eis umquam pernicioſam illam doctrinam vitio vertit tamquam corruptæ eorum radicis ſurculum, uti multi poſtea Probabiliſtis verterunt. Hi vero plane id eis oggerere non poſſunt, aut eo ſcuto adverſus illos ſe tueri, cum non in eo principio ab iis diſcrepent, unde hæc ut obtenditur oriri potuerunt; ſed in eo, unde minime potuerunt. Fatentur enim ultro ipſi quoque Probabiliſtæ fas eſſe ſequi ſententiam *probabiliorem minus tutam*, quod hic conſectariorum illorum caput eſſe potuiſſe ponitur; negant vero mordicus contra eos, nefas eſſe

sequi sententiam *minus probabilem* eamdemque *minus tutam*, unde ut dictum consectaria illa fluere haud potuerunt. Nemo vero in defensionis suæ argumentum id contra alterum sumere prudenter potest, in quo ipsi consentit.

§. VI. Sed dato etiam hoc, quod in præsenti disceptatur, longe tamen aptius ad inducendas *perniciosas* eiusmodi doctrinas fuit Probabilistarum principium, quam alterum illud rigidiorum Theologorum. Per prius quippe illud copia cuique data est amplectendi opinionem quamcumque, ex eaque mores formandi, sive ea sibi *probabilior* sive *minus probabilis* videretur; imo si etiam cui *falsa* videretur, huius securitati per *reflexa judicia* est subventum; dum tamen per alterum non nisi manifesto *probabiliora* sectari liceret. Nemo autem non perspicit, facilius longe fuisse ea rationum momenta excogitare, quæ ad opiniones illas damnatas *minus probabiles* reddendas valerent, quam quæ ad easdem *probabiliores* efficiendas requirerentur; præsertim in tanta eiusmodi momentorum a Probabilistis editorum copia, inter quæ etiam illud fuit, *aliis quibusdam gravibus & piis viris doctrinam aliquam visam probabilem.*

§. VII. Atque hæc mihi causa fuisse videtur, cur Romani Pontifices ante exortum *probabilismum* laxas quasdam nonnullorum Theologorum opiniones non continuo solenni aliquo decreto sibi duxerint proscribendas. Præterquam enim, quod earum tanta turba haud

fuerit, ignoſcendum etiam putarunt illarum Auctoribus, qui non temeritate aliqua, ex aſſumto quopiam ad licentiam comparato generali principio, ſed aut ignorantia, aut incogitantia aliqua ad eas eſſent delapſi; quum etiam periculum non inſtaret, ut ea aliis idcirco probarentur, aut pro norma vitæ aſſumerentur hoc ſolo, quod unus alterve iis faviſſet; nec ipſi etiam earum Auctores, ut tantum ſibi ab aliis deferretur, contendiſſent. At poſtquam monſtrum illud caput extulit, natura ſua factum ad plures eiusmodi damnoſas opiniones non decimo quoque anno, ut elephanti pariunt, ſed in dies, in horas ſingulas, quoties Caſuiſta tantum

— Caput ſcaberet, vivos & roderet ungues.

& citius, quam aſparagi coquuntur, enitendas; deprehenſumque eſt inſuper, id ipſum in probabilitatis honeſtatisque normam communem trahi ac proponi, ſi ita quibusdam doctis viſum eſſet; cohibere ſe Pontifices ſummi haud potuerunt, quin infelices illos partus jugularent: nihil quidem interea de fœcunda eorum parente conceptis verbis ſtatuentes; ſed tamen cuique, quid ex ſobole de ea exiſtimare liceat, exputandum relinquentes.

§. VIII. Verum ne ſine teſte, quæ dixi hactenus, locutus videar, eaque pro ingenii libidine dumtaxat effutiiſſe, dabo etiam eorum nonnullos. Ordiar autem ab eo, cui ut in aliis, ita & in hoc præcipuæ debentur partes,

Ro-

Romano ſcilicet Pontifici Alexandro VII. Hic in ſuo decreto quo primum octo & viginti propoſitiones confixit, ita præfatur: *Sanctiſſimus Dominus Noſter audivit non ſine magno animi ſui mœrore, complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire, & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omnino ab Evangelica ſimplicitate ſanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet Chriſtianæ vitæ corruptela &c.* Scio nihil te non acturum, ut quidvis aliud hic egiſſe Pontificem evincas, quam *probabiliſmi* doctrinam univerſim perſtrinxiſſe; nec ego id audacter contendo: ſed tamen an non id ex verbis ſequentibus, ſi cum uſitatis Probabiliſtis loquendi formulis conferantur, erui poſſit, tute videris. Sic enim pergit Pontifex: *Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cuius verba in æternum permanent, arctum eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D.N. ut oves ſibi creditas ab eiusmodi ſpatioſa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro paſtorali ſollicitudine in arctam ſemitam revocaret &c.* Enimvero *opinandi modus*, qui *viam* Chriſti *arctam* ſic dilatat, ſpatioſamque reddit, eſt idem ille, Probabiliſtarum etiam confeſſione ut ſuperius vidimus, *probabiliſmus.* Sed luculentiora aliorum teſti-

monia audiamus. Clerus Gallicanus in Comitiis generalibus an. 1700. Epistolam edidit encyclicam Calendis Octobris, in qua diserte protestatur, *quod in praxi eam nobis liceat sequi sententiam, quam nec ipsi ut probabiliorem eligendam judicemus, hoc novum esse, hoc inauditum, hoc certis ac notis auctoribus postremo demum sæculo proditum, & ab iisdem pro morum regula positum, repugnare huic effato a Patribus celebrato: quod ubique, quod semper, quod ab omnibus; nec habere posse Christianæ regulæ securitatem. Hoc initium malorum esse, atque omnium ante dictarum corruptelarum caput; & doctrinæ consecutionem, & seriem temporum ostendere. Hoc ab eorum Antecessoribus Viris fortibus ac religiosis censorie notatum, hoc sæpe reprehensum hodieque reprehendi nullo incusante, imo bonis probantibus, diffiteri neminem posse.* Plura ea in epistola Apostolico Spiritu vere plena, huc facientia reperias R. Pater, si eam te legete contingat. Et hi quidem doctissimi, piissimique Episcopi primam doctrinæ damnatis propositionibus contextæ labem, e *probabilismo* manasse, aperte sunt professi; putoque plus iis, in Commitiis quæ Nationalis Concilii instar haberi queant, congregatis, sic loquentibus & definientibus deferendum, quam quibuscumque singularibus Theologis, quamque deferat P. Cardenas apud La Croix triadi illi Societatis Suarezio, Vasquezio, & Sanchezio, *quos, cum in unam aliquam sententiam conspirant, plurium Universitatum ad instar sibi esse* affirmat. Ceterum in universum *perniciosam saluti animarum probabilismi* doctrinam

nam

nam agnoverunt Cardinalis Bellarminus in fine libelli de Regimine Principum; Cardinalis Pallavicinus, qui cum in Tract. de Actibus humanis eamdem prius amplexus esset sententiam, postea morti propinquus ei nuntum misit ut testatur Gonzalez Dissert. 13. cap. 3. §. 11, laudati alias operis; Cardinalis de Aguirre in præfat. ad Collectionem Conciliorum Hispaniæ; & verbo omnes Anti-Probabilistæ. At nemo eam opinandi rationem festivius perstrinxit, quam Nicolaus Faber, Ludovici XIII. Galliarum Regis olim præceptor, dum eam *artem cum Deo cavillandi* appellavit; nemo vero acrius; quam Antonius Merenda Juris Consultus Bononiensis, dum *commentum diaboli* dixit, *ad enervandam vim præceptorum*. Nihilominus, cum ad tot peccata extenuanda, excusandaque accommodatissima sit hæc doctrina; *Unum tamen est, cui indulgentiam nullo pacto tribuit, nempe si ei infallibilitatem assecurandæ ut aiunt conscientiæ non asseras. Hoc peccato si pecces, desperata est tua salus; peccasti in spiritum sanctum, & tibi neque in hoc sæculo, neque in futuro remittetur.* Sed quis hoc credat? quis putet innatam alioqui Probabilistis benignitatem in hoc uno ita posse obrigescere, ut omnino implacabilis sit, & ad veniam non flectatur? Grande scilicet malum esse oporteat; quod illi decretorum suorum aspernatoribus tam perseveranter minitantur, Sed *probabile* saltem est, id tantum malum non esse, imo nullum. Itaque desinant maledicere.

* * * * * * * * * * * *

CAPUT XXIII.

De Probabiliſtarum numero.

§. I.

Superiori capite ordinem nonnihil tuarum contra Corſinum obiectionum immutavimus, ex §. 48. quædam delibantes; ſed coniunctione materiæ eo delati ſumus. Nunc ad ea, quæ §. 46. primæ reprehenſioni tuæ ſubiicis, revertendum. Itaque Corſini audaciam in accidenda virorum *graviſſimorum*, *doctiſſimorum*, *ſapientiſſimorumque* Probabiliſtis laude, repreſſurus, primum manipulum *ducentorum Auctorum* a Terillo conſcriptorum, & ne quo vitio forte laborarent, etiam *plerumque ab eo inſpectorum* educis; his ſubinde alios *vicenos & quinque auxiliarios* a Gobato impetratos jungis, lectos *ex omni ſtatu*, *conditione*, *Religioſo Ordine Viros*, *ſumma doctrina & virtute conſpicuos*, qui omnes *probabiliſmo* nomina dediſſent. Inter hos *Summus Pontifex unus*, *Cardinales ſex*, *Archi-Epiſcopi quatuor*, *Epiſcopi undecim*, *Doctores in celeberrimis Univerſitatibus plurimi.*

Quorſum pertinuit ſtipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?
Hor. II. Sat. 3.

§. II. Exanimari certe his copiis queat novitius Theologus, animumque omnem in genua abiicere. *At non in multitudine exercitus victoria belli* 1. Machab. 3. Eſt, ubi *perſequa-*

tur

tur unus mille, & duo fugent centum millia Deuter. 32. Risit olim, ut refertur Tomo II. Menagianorum, Hennequinus hanc in litterariis præliis pugnandi rationem, cumque præteriens aliquando Moinium celebrem alias in Sorbona Doctorem, tam forte in Acroasi legentem, auctorumque numero placita sua confirmantem audivisset: *Ita Suarez, ita Vasquez, ita &c.* aperto non nihil ostio caput introrsum porrigens: *ita Lanternez* exclamavit. Merito quidem; nam monente Tullio I. de Nat. deor. *non tam auctores in disputando, quam rationum momenta quærenda sunt;* & Seniore Scaligero Exercit. 307. Sect. 25. *nec centum auctorum chiliades contra unam rationem sufficiunt.* Te quidem, quem hæ destituerent ab illorum multitudine causæ præsidium emendicare oportebat.

§. III. Quamquam miror eorum tot, te numerum inire voluisse, quum satis fuisset ad conciliandam rei, quam agebas, probabilitatis opinionem vel *unum* nominare, non eo solum, quod quidam *unius* dumtaxat auctoritate *probabile* effici quidpiam doceant; sed quod hi ipsi modum quoque excogitaverint, idem aliis, reluctantibus, & *plures* aliquanto requirentibus persvadendi. En totius huius artificii summam: *Hæc propositio: sexdecim ad probabilitatem requiruntur, non est probabilis; quia si sufficiunt sexdecim, sufficiunt quatuor, & si sufficiunt quatuor, sufficit unus.* Iam sic: *ad probabilitatem sufficiunt quatuor, sed quatuor, imo viginti & supra testantur unum sufficere,*

re, ergo ſufficit unus. Carneades melius, quam iſti, cavillari haud potuiſſet.

§. IV. Sed iam ipſum numerum revocemus ad calculos, ne forte pullis terriculamento ſit. Suboluit vero jam pridem Viris emunctæ naris, quidpiam hic fraudis. Nolo autem fidem tuam in dubium revocare, qua Terillum *ducentos plerumque a ſe inſpectos probabiliſmi* patronos recenſuiſſe affirmat: quum tamen Generalis tuus Præpoſitus A. R. Pater Thyrſus Gonzalez diſſert. 13. cap. 2. §. 14. pauciorum meminerit, & ſolum dicat, *ſupra auctores unde ſexaginta, quorum elenchum texuerat Mercorus, Terillum ultra ſexaginta numeraſſe.* Fieri enim poteſt, ut vel alienis oculis in inſpiciendo Terillo, vel alia editione quam Gonzalez in legendo uſus ſis. Quod circa hunc tam amplum Probabiliſtarum numerum notarunt alii, illud eſt, multos illic *probabiliſmi* Patronos cenſeri, qui tamen revera patroni illius non fuerunt, invitique adeo in ſuffragium pertrahantur. Lege hic Diſſertationem ſecundam laudati mox A. R. Patris tui, & videbis plures ex iis, qui vulgo creduntur Probabiliſtæ, ex ea parte ſolum *probabiliſmo* ſubſcripſiſſe, *quatenus probabilitatem ſecundum ſe poſſe eſſe actionum noſtrarum regulam docuerunt: aut certe de probabilitate minori reſpectu aliorum, non vero ipſius operantis, ſolum eſſe locutos, ſi hæc forte penſatis omnibus liquido ei maior videatur.* Et in horum cenſum, non vero Probabiliſtarum ſimpliciter, referendi forte ſunt præter alios, etiam *ſummus* ille

tuus

tuus *Pontifex unus*, *Cardinales ſex*, *Archi-Epiſcopi* quatuor, & plerique ex undecim Episcopis, quos memoras. Alioqui enim malo credere Generali Præpoſito tuo Gonzalezio, qui data opera rem hanc examinavit, & Diſſ. 13. cap. 2. §. 13. aperte teſtatur, pro oppoſita ſententia *nullum citari Cardinalem Sanctæ Eccleſiæ;* malo Aguirrio & ipſi Cardinali, qui in præf. ad Conc. Hiſp. alias laudata conceptis verbis affirmat: *Inter tam multos Cardinales, qui uſque modo ſanctitate aut doctrina inſigni floruerunt, vix inveniri aliquem, qui aliter ſenſerit aut docuerit. Imo & ex iis, qui ſuo tempore ſuperſtites erant tam intra quam extra Urbem præſtanti pietate & eruditione conſpicui, ac toti Orbi Chriſtiano noti, quorum judicia ac ſententiæ ipſi frequenter colloquio ac variis congreſſibus innotuerunt, neminem fuiſſe ait, qui tam in theoria, quam in praxi non cenſuerit, ſequendam omnino eſſe ſententiam tutiorem vel ſaltem longe veriorem ac probabiliorem.*

§. V. Non hæc a me allata eo ſunt, quaſi ipſe inficias eam tot ad conflandum illum Probabiliſtarum auctorum numerum cogi poſſe ſcriptores, quot Terillus aut Gobatus prodiderunt; ſed ut pateat, non omnes in eo exercitu mereri, ſacramentumquè dixiſſe, qui vulgo exiſtimantur. Alioqui ſi de numero agitur, facile ex ſolius Germaniæ Caſuiſtis centurias confles aliquot, quod nulla Probabiliſtarum feracior iſta, in orbe Chriſtiano fortaſſe ſit provincia. Cauſas rei huius hic exequi omnes non expedit; puto tamen eſſe præcipuam, quod

qui

qui Scholas Theologicas publicas illic occupant, paucis exceptis, ad unum fere omnes ſint Probabiliſtæ, unde diſcipuli niſi Probabiliſtæ prodire nequeunt. Ita ipſi a Doctoribus ſuis inſtituuntur, ita viciſſim alios inſtituunt; ita ipſi vivunt, ita alios vivere docent; dumque patrias quisque canit cantiones, ducitur funiculus perpetuus, qui non rumpitur, quia non eſt qui ſecet. Accedit quod aliorum librorum moralium vix ullus in partibus ſit uſus, niſi quibus *probabiliſmi* doctrina continetur. Hi paſſim in Germaniæ excuduntur, recuduntur, aliunde eo inferuntur, laudantur, commendantur; his turgent bibliothecæ, & bibliopolarum officinæ; hi faciles emptores inveniunt; aliorum vix ulla habetur ratio vulgo, & ſi quis eis in pluteis ſit locus, *tineas paſcunt, blattasque.* Quo fit ut plerisque etiam illic perſvaſum ſit, pauciſſimos in republica Chriſtiana numerari Theologos *probabiliſmo* infeſtos, qui eapropter etiam, quod contra torrentem niti obſtinent, exploduntur, & veluti cæcutientibus aliis ſoli ipſi videant, ludibrio habentur. *Quis credat* (verba refero recentioris Theologi P. Ioſephi Gihl S. I. in ſua Amuſſi vitæ moralis Part. II. art. 2. quæſt. 2. num. 19.) *vix decem Theologos, & hos inter aliquos tales quales, quorum plurimi libri partim Romano fulmine partim flammis ſunt caſtigati; & cum his Ianſeniſtarum vulgus eſſe tam lynceos, ut cæcutiente reliquo orbe litterato, poſt rem tantopere examinatam, in Divino Codice eam legem & legerint*

gerint & intellexerint ſoli ipſi? atqui tot tantisque a mundi incunabilis fuit ignota.

§. VI. Dum hæc accuratius conſidero, plane mihi videre videor eam ipſam rerum in Germania faciem, quæ olim fuit Salmanticæ, dum illic Cardinalis de Aguirre ante ſuſceptam purpuram adhuc degeret. Eius teſtimonium eo libentius hic adſcribo, quo & Probabiliſtarum indolem egregie exprimat, & ingenuam etiam prioris ſtudii, ſubinde autem mutatæ a tanto Viro ſententiæ confeſſionem contineant. Ita igitur in ſæpius jam laudata præfatione ad Conc. Hiſp. præclariſſimus Cardinalis: *Eo usque communi fere ſenſu aut præiudicio abductus in probabiliſmo, velut in pulvino molliter quieſcebam, & plerumque ſtudium meum, ita ingenue fateor, ſitum erat in examinando potius, an aliquid eſſet probabile, quam in inveſtigando, an eſſet verum. Detecta enim probabilitate nullatenus dubitabam, me poſſe illud in praxi ſequi aut aliis conſulere. Unde & in Theologia Florulenta, quam edidi Salmanticæ anno 1667. ludo 5. præſertim a numero 70 uſque ad 98 tota mihi cura fuit in examinandis conditionibus opinionis ab uno Doctore pio & docto traditæ adverſus communem aliorum neceſſariis ac ſufficientibus, ut illa probabilis cenſeatur. Hoc enim ſemel ſtatuto, non dubitabam licitum eſſe illius uſum, adhuc poſtquam Alexander VII. anno 1666. damnaverat 45. propoſitiones, & in iis illum numero 27. ſi liber ſit alicuius junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat reiectam eſſe a Sede Apoſtolica ut improbabilem. Hanc ipſam theſim per ſe ſpectatam ibidem late impu-*

impugnavi, ſicut & nimiam licentiam opinandi circa Doctrinam morum: quam in rem memoravi num. 79. ea fere ipſa, quæ paulo antea protuli de Illuſtriſſimis Epiſcopis Calaguritano, Oxonienſi & Placentino. Nec proceſſi ulterius ad quærendum, an dato quod opinio aliqua ſit probabilis, liceat omnino illam ſequi in praxi, aut aliis conſulere relicta probabiliore aut tutiore. De hoc enim tunc nemo Salmanticæ dubitabat. Usque adeo invaluerat probabiliſmus ibidem, quamvis paulo antea Magiſter Joannes Martinez de Prado, & Vincentius Baronius ambo Dominicani ſcriptis editis impugnaſſent longe ac late Caramuelem, & reiecisſent uſum opinionis minus probabilis faventis libertati in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto. Nulla enim fere ratio utriusque laudati Scriptoris habebatur in ea parte, ob multitudinem innumerabilium aliorum liberius ſcribentium, ut poſſent ii dicere cum Poëta: obruimur numero. Cœpi itaque rem maturius examinare ob anno circiter 1671. usque modo, lectis ac relectis ultra prædictos plurimis auctoribus recentibus, qui hinc & inde controverſiam hanc graviſſimam proſligarunt ex inſtituto. Deprehendi vero ingens periculum ſalutis in ſectando aut conſulendo aliis probabiliſmo, ſive uſu cuiuslibet opinionis minus probabilis faventis libertati, in concurſu alterius probabilioris adhærentis præcepto &c. Hactenus Aguirrius, quem utinam plures imitentur! Imitarentur autem ſine dubio, ſi ad vocem multitudinis, *deſpumantis ſuas confuſiones* non attendentes, ipſi per ſe ſepoſitis affectibus controverſiam examinarent, & puro obtutu veritatem inquirerent.

§. VII.

§. VII. Sed ut ad Probabiliſtarum copias redeamus, quantæcumque demum eæ ſtatuantur, multis tamen gravibusque obnoxiæ ſunt exceptionibus, quæ earum auctoritati non parum detrahunt. Multi ex Probabiliſtis, imo ut inquit iterum Gonzalez Diſſert. 13. cap. 2. §. 14. *plerique ex iis rem ex profeſſo non diſputarunt, nec fundamenta ſententiæ contrariæ ſatis expenderunt, ſed ex præiudicio & perſuaſione, quod ſententia communior inter Theologos huius ſæculi falſa eſſe non poſſit, illam amplexi ſunt.* Conſtat autem ex omnium ICtorum & Theologorum conſenſu, exiguum ad veritatem eorum ſuffragia habere pondus, qui controverſiam aliquam momentis ſuis minime librantes, ad aliorum dumtaxat auctoritatem ſe conferunt, *pecorumque ritu ſequuntur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur*, ut inquit Seneca De vita beata 1.

§. VIII. *Alterum* eſt, quod ſuſpecta ſemper ſit eorum teſtium fides, qui confirmant quidpiam, quod ita ſe habere, eorum intereſt. Tunc enim plerumque fit, ut plus rationibus ſuis privatis deferant, quam veritati. Joviniano olim de ſuffragatorum multitudine glorianti, appoſite reſpondit Hieronymus Libr. II. cap. 19. *Quod multi acquieſcunt ſententiæ tuæ, judicium voluptatis eſt; non enim tam te loquentem probant, quam ſuis favent vitiis.* Imo ad intellectum ipſum labes hæc nonnumquam permanat, efficitque, ne is, quod verum eſt, re-

apſe videat; ſed falſum pro vero, veluti ſcorpium pro perca amplectatur. Quum ergo doctrina *probabiliſimi* belle admodum in animos ſe inſinuet, & effuſæ aliunde in licentiam, legisque jugum excutiendum naturæ blandiatur, mirum quidem videri haud debet in multorum præſidiis eam verſari; at hoc ipſum eſt, quod patrocinia hæc facit ſuſpecta, quod veluti ſint domeſtica, eorumque fidem labefactat; ſi tamen patrocinia dicenda ſunt, & non potius fremitus ac motus quidam temerarius confertæ concionis. Horum ſi tu mihi

— — Mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein ſecunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum

producas, nihil ages. De his Cabaſſutius in præf. ad Theoriam & praxim Juris Canon. *Leves auctores, & novarum ſuſpectarumque opinionum ſtudioſos opifices, quamvis mutuo inita inter ſe factione plus quam centum occurrerent, nihil moror.* Profecto ceteris paribus, uti apud Plautum Truc. 2. 6. *Pluris eſt oculatus teſtis unus quam auriti decem;* ita mihi præ decem imo & pluribus, qui *probabiliſimi* uſum licitum adſtruunt, potior eſt unus, qui negat: quod ii pro libertate contra legem teſtimonium perhibeant; iſte pro lege contra libertatem, nemo vero niſi ipſa veritatis luce, deque amore victus in rebus ambiguis non ſecundum ſe ſententiam dicturus præſumatur.

§. IX. Hoc interea R. Pater multitudini illi tuæ Probabiliſtarum, qua tantopere fidis, reſpon-

ſponſum habe. Nam alioqui hoc etiam præſidio deiici poteſt. Neque enim patrocinia adverſariorum cauſam ita deſtituunt, ut plura non ſint, quam

Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili;

aut ut, ſi numero certandum ſit, non eumdem imo maiorem, quam Probabiliſtæ, producere queant. Puto autem & vita functis hic locum eſſe debere, præſertim cum hos etiam Probabiliſtæ teſtes citare ſoleant. Itaque contra tot (finge quot vis) huius & ſuperioris ſæculi Probabiliſtas ſtant omnes ſæculorum fere ſexdecim, quot a nato Chriſto ad *probabiliſmi* natalitia effluxerunt, Patres & Theologi. Niſi mihi id aſſeveranti credis, at crede ſi eſt amica veritas, P. Franciſco Amico Societatis tuæ Theologo, & ſententiæ benignæ patrono, qui Tomo III. ſui Curſus Theologici diſp. 15. num. 75. apud Gonzalez in Introductione ad Diſſertationes ſuas de recto uſu opinionum probabilium, candide fatetur, *omnes fere antiquos Theologos negare licitum eſſe operari ſecundum ſententiam minus tutam, & ſimul minus probabilem, ſemperque ad licite operandum ex ſententia minus tuta exigere, ut illa ſit probabilior.* Crede P. Antonio de Corduba Franciſcano qui in ſuo Quæſtionario Theologico Libr. II. quæſt. 3. relatus ab eodem Gonzalez teſtatur pariter, *in hoc omnes Theologos conſentire, partem tutiorem eſſe tenendam, quando illa eſt probabilior oppoſita.* Scribebat autem id circiter annum 1571; nam eo liber eius in lucem fuit edi-

editus. Crede denique ipsis cognatis tuis Probabilistis, qui ex hoc ipso dogmate laudem captant novitatis. Quod vero ad huius & superioris sæculi Theologos attinet, expungendi e Probabilistarum numero sunt. Juenino judice Instit. Theol. Part. VII. dissert, 2. quæst. 4. cap. 3. art. 5. *Primo omnes germani Doctorum Angelici & Subtilis discipuli. Secundo variarum orbis Academiarum Magistri omni exceptione maiores. Tertio Ecclesiæ particulares, quæ Pastorum suorum ore declararunt, probabilitatem non esse morum regulam. Quarto tota Ecclesia Gallicana, quæ ad Comitia Generalia an. 1700. congregata, recentiorum probabilitatis dogma proscripsit, præfixitque: regulas, quæ illi opponuntur e diametro.* Addo his omnes Ordinis Eremitarum S. Augustini Theologos, saltem quotquot, excepto Gibbone & Salonio ad manus Patris Berti pervenerunt; pleraſque item, Bardinale Aguirrio teste, Patres Præmonstratenses, Congregationis Oratorii & Missionis in Gallia ac Belgio; nec non Congregationis Benedictinæ S. Mauri. Quorum omnium si ineatur ratio, jure fortasis severioris huius & sinceræ Moralis Sectatores, laxioribus illis insultare queant iisdem, quæ apud Prudentium Libr. I. contra Symmach. leguntur verbis:

— — — — Infirma minoris
Vox cedat numeri, parvaque in parte quiescat.

§. X. Quamquam de tota hac ratione, opinionum veritatem ex capitibus pendendi infra redi-

redibit sermo, planumque fiet, quam parum ei insit roboris; & videris tute arundineo huic baculo parum confidisse, qui alio mox transvoles. Quo vero? quo pueri scilicet solent, ad minas.

Cervius iratus leges minitatur & urnam;
Canidia Albici, quibus est irata, venenum;
Grande malum Turius.

Hor. II. Sat. 1.

Tu quid? *Plures*, ais, *tibi præ uno non defore clypeos, quibus vanas Corsini sine viribus iras male obtusis sagittis oneratas retundas.* Pulchre, bene, recte! Gratuletur sibi tota Probabilistarum natio, in te uno tandem eum se nactam heroëm, qui frangendis atterendisque omnibus adversariorum viribus par sit.

Si foret in terris, rideret Democritus.

Hor. Art.

Post omnia tamen intra minas stat tota tua ostentatio, nec ultra procedis. Nempe

— Neque chorda sonum reddit, quem vult manus & mens,
Poscentique gravem persæpe remittit acutum;
Nec semper feriet, quodcumque minabitur arcus.

Hor. ib.

Et quod magis ridendum, causam huius tuæ tam insignis continentiæ refers in *modestiæ cum primis religiosæ studium, & a conviciandi libidine animum alienum. Credat Judæus Apella, non ego;* neque alius ullus, qui libellum tuum evolvere voluerit, a composito adeo ad humanitatem vultu sibi imponi patietur. Mirabitur

bitur ſimiam in purpura, & aurum hic dicet ſubæratum. Et en in continenti novum modeſtiæ tuæ ſpecimen.

Caput XXIV.

De ignorantiis ab Hoffmanno Corſino affictis.

§. I.

Ut *Corſinum a calumniæ labe*, quam ei jam aſperſeras *vindices*, ſubito alius, & veluti de calcaria ad carbonariam decurrens, inſcitiæ notam ei inuris, quaſi *is probabiliſſimi doctrinam, prout a melioribus eius patronis explicatur, ignorarit*, Bene, ſi inter *malæ* cauſæ patronos reperiri aliqui queant *meliores*. Et tamen, niſi id patiatur Corſinus, in prius calumniæ crimen ei eſt recidendum, quo ſe adſtrinxit, *ſententiam Probabiliſtarum præpoſtero ſenſu, multisque figmentis ad conciliandam fidem interiectis referendo*. Sed faciemus cum bono Deo, ut Corſinus nec ignorantiæ, nec calamniæ invidiam cogatur ſuſtinere.

§. II. Quando autem R. Pater poſita veluti privata perſona, communem plurium hic agere incipis, patieris ut ad ductum tuum me quoque applicem; & quos tu *Nos* dicis, ego *Vos* appellem. Non puto autem ea formula totam tuam inclitam Societatem te comprehendere voluiſſe, quaſi ſi *probabiliſſimi* doctrina eius ita ſit propria, ut eam ſolemni aliquo judicio probarit, aut in univerſum adoprarit.

Nam

Nam ſcio Viros ex ea graviſſimos ei parum fuiſſe propitios, imo primos e Societate exſtitiſſe, ut de P. Andrea Blanco in Italia factum teſtatur Mercorus, qui *gladium* hunc *venientem ſuper terram videntes inſonuerint buccina*, & *veluti muros pro domo Iſraël ſe oppoſuerint*. Scio etiam Societatis tuæ Patres in Comitiis generalibus congregatos tempore Innocentii XI, cum eos Pontifex percontatus eſſet, utrum doctrinam probabilitatis quaſi propriam ac peculiarem Societati adſciviſſent? palam proteſtatos eſſe, *fas eſſe Theologis ſuis contrariam docere, ſeque in iſta itidem, ut in ceteris Theologicis diſputationibus, Thomiſtas & alios Catholicarum ſcholarum Theologos audire* ut refert P. Gabriel Daniel Epiſt. 2. ad P. Nat. Alexandrum. Legi denique Decretum 18. Congregationis Generalis XIII. his verbis conceptum: *Cum relatum fuiſſet ad Congregationem aliquos in ea perſuaſione eſſe, quod Societas communibus quaſi ſtudiis tuendam ſibi ſumpſiſſet eorum Doctorum ſententiam, qui docent in agendo licitum eſſe ſequi opinionem minus probabilem faventem libertati, relicta probabiliore ſtante pro præcepto: declarandum cenſuit Congregatio, Societatem nec probibuiſſe nec prohibere, quo minus contrariam ſententiam tueri poſſent, quibus ea magis probaretur.* Non ergo tu generali illa tua formula ad Societatis univerſæ corpus intendere poteras, tamquam eius cauſam acturus, ſed ad ſolos ſive intra Societatem ſive extra eam Probabiliſtas, quibus proinde ſolis a me quoque reſponſum iri exiſtimes, ſi qui tamen fuerint,

qui se tibi jungere cupiant, & tam miserabilem causidicum non eiurent.

§. III. Sed ad rem jam veniendum, & videndum, quænam sint illa ignorantiæ capita, quorum infamia flagrare debet Corsinus, ni quid malit deterius. *Primo*, inquis, *dicit* Corsinus, *nos sentire, ut opinio quædam probabilis sit, nihil aliud requiri, nisi ut ab aliquo auctore tradita sit — qui tenuissima ratione vel coniectura, imo nomine solum vel auctoritate sua opinionem illam probabilem tutamque reddiderit.* Respondes: *Ignoravit historiographus, nos requirere, ut auctor sit omni exceptione major, hoc est talis, cuius opinio non sit contra principium aliquod certum, nec levi, nec tenui nitatur fundamento, nec ipse alias varia improbabilia aut Patrum auctoritate, aut Ecclesiæ definitione, aut ceterorum Theologorum sensu reprobata docuerit.* Hoc primum. *Secundo* inquis, *arbitratur nos docere, licitum esse illum opinandi modum eligere, qui tenui quacumque probabilitate fulciatur, tenuissimoque discrimine a sententia falsa vel errore distinguatur.* Respondes: *Ignoravit nos nihil amplius, ac hoc negare, & pernegare, tum ob damnatam ab Innocentio XI. propositionem tertiam; tum quod tenuis probabilitas habeat motivum ita leve, ut imprudenter censeatur agere, qui illi assentitur.* Hoc alterum. *Tertio* inquis, *putat nos tradere, opiniones a Theologis omnibus, Conciliis, Romano Pontifice damnatas, tuto tamen ac prudenter defendi posse.* Respondes: *Ignoravit nos jurare in verba Conciliorum; Romanorumque Pontificum etiam extra*

Con-

Concilium non modo in fidei materiis, ſed & morum, regulam eſſe infallibilem, ita ut ſententia ab illo reprobata ſimpliciter reddatur improbabilis. Hoc tertium. Denique *Quarto* inquis, *aſſerit nos gloriari, ut aliquid Patrum ætate vel ſuperioribus ſæculis prohibitum ac malum foret, quod nunc licitum ſit.* Reſpondes; *Ignoravit nos tueri eam dumtaxat ſententiam probabilem ſequi licere, quæ gravi nititur fundamento, neque Patribus aut Conciliis, aut Pontificis declarationi, adverſatur.*

§. IV. En quatuor ignorantiæ, quorum Corſinum inſimulas, peccata: ſed potiori jure in te transferenda, qui Corſinum harum rerum inſcium ac rudem haud fuiſſe, ignoraris. Plana illius ſunt verba, quibus ex perſona adverſariorum tibi occurrit Tom. 5. diſp. 2. cap. 10. num. 25. *Primo*, inquit, *reponere ſolent, ſe non quamcumque opinionem probabilem veluti licitam ac tutam proponere, ſed illam ſolum, quæ gravibus rationibus innitatur; quæ a gravi, prudenti, religioſo Theologo doceatur; quæ denique ſcripturæ, Conciliis, ſive Pontificum decretis non adverſetur: ideoque mendaces ac iniquos eſſe, qui probabilitatis doctrinam coloribus aliis expreſſerint.* Agnoſcis ni fallor Corſini ſententiam, qua non ſolum omnia illa tua, hodiernorumque Probabiliſtarum ſubterfugia, ſed & illam ipſam a te inſtauratam querelam occupavit. Evaneſcit igitur ea, cuius Corſinum poſtulas, ignorantia. Neque vero id te fugit, qui §. tuo 48. locum illum Corſini, etſi dimidiatum laudaveris; ſed more tuo conciliare

hæc cum prioribus non valens, ex eo quæris: *Si hæc non ignoravit, cur plurimam citati ſæpius capitis decimi partem perditis doctrinis, quas vos damnatis & execramini, ad faſtidium uſque repleverit?* Sed ad hoc

§. VI. Facilis eſt reſponſio. Nam ſi vos R. Pater, qui nunc eſtis Probabiliſtæ, *perditas* illas doctrinas damnatis & execramini; non damnarunt certe, ſed veluti ſimiæ catulos ſuos exoſculati ſunt veſtri Maiores. Si vos auctorem *omni exceptione maiorem*, ſi probabilitatem *ſolidam*, *non tenuem* ad opinionem tuto impuneque ſequendam nunc exigitis; non exegerunt, qui priores vobis eius doctrinæ facem prætulerunt. Quid ergo inane feriebat Alexander VII. cum illam an. 1665. damnavit propoſitionem num. 27. *Si liber ſit alicuius junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtet reiectam eſſe a ſede Apoſtolica tamquam improbabilem?* Aut cum umbris luctabatur Innocentius XI. cum an. 1679. hanc num. 3. confixit: *Generatim, dum probabilitate ſive intrinſeca ſive extrinſeca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confiſi aliquid agimus, ſemper prudenter agimus?* Aut ſtudioſe compoſita, a nullo vero auctore tradita fuit illa, quam Clerus Gallicanus an. 1700. diris devovit; *Ex auctoritate unius tantum poteſt quis opinionem in praxi amplecti, licet a principiis intrinſecis falſam & improbabilem exiſtimet?* Non puto eo te inſaniæ

ſaniæ prolapſurum, ut Caſuiſticam hanc laxiorem Theologiam meram fabulam remque fictam dicas, homo ſocietatis, quæ in ſimili negotio contra Ianſeniſtas, Ianſenii hæreſim veluti imaginariam ſolum venditantes, tantopere decertavit. Atqui ſi exempla deſideras, *doctum ſolum auctorem reddendæ alicui opinioni probabili ſufficere* dixit Filliucius; alterutrum dumtaxat, hoc eſt *vel gravem auctoritatem, vel non modici momenti rationem* requiſivit Laymannus; *tenui probabilitate, modo a probabilitatis finibus non exeatur* acquievit Tamburinus; *communem aliorum ſententiam nihil officere probabilitati opinionis ſingularis contrariæ alicuius auctoris* docuit Eſcobar; *opinionem probabilem condemnari non poſſe ita, ut quoad ſe, quoad Deum, & in foro interno reddatur improbabilis & inhoneſta ſpeculative*, aſſeruit Caramuel; *quidquid ſpeculative probabile eſt, in praxi etiam tuto amplecti licere* contendit Sancius; hominemque, *probabilem ſpeculative opinionem pro ſe habenti, ſed pertimeſcentem ex ea practice operari comparavit* Tantalo, poma & aquam ad labia prope habenti, eis tamen uti aut frui impedito. Qui cetera abſurda & abominanda procuderunt, facile ſuo quique nomine appellari poſſent, ſi Vindiciarum noſtrarum paterentur anguſtiæ, deprehendereturque ex eorum grege etiam fuiſſe illa *Quatuor animalia, & Viginti quatuor Seniores*, quibus *Agnum Apocalypticum ſacrum Theologiæ Moralis volumen ſeptem ſigillis munitum, non ſine communi omnium ſalute reſignaſſe*,

pro-

prodidit novus Apocalypſeos interpres Eſcobar in Idea & Epilogo ſuæ Theologiæ Moralis.

§. VI. Ex his tale jam forma tibi familiari efficio argumentum: Vel qui nunc avetis dici Probabiliſtæ, cum prioribus illis præcurſoribus veſtris in eiusdem doctrinæ ſocietatem coitis, vel ab iis vos ſecernitis? Si prius, immerito tu Corſino improperas, quaſi ea vobis affinxerit, quæ minime doceatis. Si poſterius, cur quaſi vos ab eo hoc loco deſignati ſitis & læſi, in eum inſurgis? Indefinite, indeterminate neminem nominando is eo loco Probabiliſtas reprehendit ob tam propudioſa opinionum monſtra; quod ut faceret impune, ſatis erat, ex nonnullorum cerebro ea prodiiſſe; ut forent omnium, nil neceſſe erat, nec proinde ea reprehenſio ad omnes trahi debebat, præſertim poſtquam Corſinus deinceps accurate inter utrosque, hodiernos ſcilicet, & nuperos *probabiliſmi* patronos diſcrevit, atque ita ſatis prodidit, priore loco ſe ad antiquiores dumtaxat reſpexiſſe. Et hæc *prima* cauſa eſt, ob quam mirari deſinas, *cur plurimam citati ſæpius capitis ſui decimi partem perditis doctrinis, quas vos damnatis & execramini* Corſinus *repleverit*: nihil nempe ab eorum doctrina attulit alienum. Quamquam miror *ad faſtidium tuum* uſque id factum eſſe; quum tamen magis faſtidire oportuiſſet eos, qui hæc docuerint, quam qui redarguant.

§. VII.

§. VII. *Altera* cauſa, qua faciendum id ſibi duxit Corſinus, eſt, quod *perditæ* ex ſententiæ *probabiliſmum* revera agnoſcant parentem, ut ſuperius jam oſtendimus. Oportebat ergo fructu delibato oſtendere, quam perniciosa eſſet arbor; caudamque prodere, ut de vulpe teſtaretur.

§. VIII. *Tertia* eſt quod conditiones a recentioribus Probabiliſtis excogitatæ cauſam *probabilismi* nihilo faciant meliorem, perindeque in poſterum perniciosæ opiniones veluti capita hydræ, aut herba irrigua, gratia & cura illius artis ſuccreſcere poſſint, ut olim ſuccreverunt, niſi illa ipſa peſſumdetur. Hanc cauſam indicavit ipſe Corſinus loc. cit. num. 25. ubi ſic habet: *Qui conditiones illas opponunt, nihilo meliorem probabilitatis doctrinam efficiunt, & incautis ſolum atque imperitis ludificant; hanc illis honeſtatis ſpeciem obtrudunt, ut corruptæ moralis diſciplinæ invidiam avertant. Quod ſi ſubtilitas illa, vel ſubdola verborum ambages attentius dirimatur, eadem ſemper pernicioſa doctrinæ facies, eadem opinionum portenta, eademque flagitiorum impunitas nitidiſſime apparebit.* Verum quando hic lapis offenſionis tibi eſt & petra ſcandali in Corſino præcipua, non abs re erit fuſius id perſequi, earumque conditionum vim ſuis ponderibus examinare, rationemque ita inire expediendæ Corſini ſententiæ.

* * * * * * * * * * * * *

CAPUT XXV.

De prima conditione ad opinionem vere probabilem juxta RR. requisita, pietate nempe & doctrina Auctoris.

§. I.

Hanc conditionem tu R. Pater sic effers, ut velis Auctorem, qui nominis sui dignitate opinionem quampiam vere probabilem efficere queat, esse oportere *omni exceptione majorem.* Sed satis prodis animum tibi fuisse idem his verbis dicendi, quod vulgari Probabilistarum lingua dici solet; eum oportere esse *pium & doctum.*

§. II. Conditionis huius inanitas & futilitas multis ex capitibus se prodit. Nam præterquam quod nullum sibi locum vindicare possit in Auctore ipso, qui novam aliquam opinionem procudit, nisi ipse se circumspicere velit, & ad capiendum probabilitatis experimentum, propriis vestigiis, quam *pius & doctus* sit indagare; insuper nullus etiam respectu aliorum commodus illius se offert usus. Quod si enim opinio quæpiam ceteris conditionibus prædita sit, quæ ad eam *vere probabilem* reddendam requiruntur, a quocumque demum, etiam minus *pio & docto*, patellarioque Theologo excogitata fuerit, necesse erit eam effici *probabilem*; sin, quis cumque illius assertor exstiterit, nihil ad eius probabilitatem hinc accedet momenti.

§. III.

§. III. Deinde ſcire velim, ſi Scriptoris alicuius nuda auctoritas ea vi pollet, ut modo is egregie alioqui *pius ſit & doctus*, continuo opinionem aliquam reddere queat *probabilem*; cur alterius æque *pii & docti*, ſi diverſum a priore ſentiat, eamdem reddere nequeat *improbabilem*? Non enim puto poſterius hoc te mihi daturum; alioqui peſſime de Caſuiſtica republica mererereris, quod plurimæ in doctrina morali opiniones forent *improbabiles*, quæ ceu *probabiles* in ea ſuſtinentur. Sed cedo, cur ita? cur non dico unus aliquis *pius ac doctus* Auctor, ſed plures, auctoritate ſua opinionis alicuius probabilitatem convellere haud poſſunt per id, quod ipſi eam *falſam* aut *improbabilem* exiſtiment; & poteſt alter itidem *doctus* ac *pius* improbabilitatem ab ea amoliri omnem per hoc, quod ipſe eam ceu *veram* aut *probabilem* amplectatur? An maius auctoritatis humanæ eſt robur in iis quæ probat, quam quæ reprobat? an plus ei deferendum in favorabilibus quam odioſis? Id quidem pugnare mihi videtur cum illo in ſcholis notiſſimo: *Per quas cauſas quid naſcitur, per easdem etiam diſſolvitur.* Nutat igitur tota illa, quam ab auctoritate Viri *probi & docti* opinioni cuipiam aſſertum is, probabilitas; vel certe ſi qua ei hinc accedit, ubi alius æque *doctus & probus* ex adverſo interceſſerit, elevatur. Id vero perpetuo uſu venit in negotiis omnibus, in quibus humano teſtimonio aut fidei aliquis eſt locus, ut ubi pugnantia inter ſe teſtimonia concurre-

rint,

rint, nisi aliud quid accedat, mutuo se elidant, atque pro nullis habeantur. Idem proinde oporteret & hic fieri, si quid tamen testimonio humano iis in rebus esset tribuendum.

§. IV. Sed non est fortasse tantum, quantum multi aut vellent, aut existimant. Observarunt enim jam pridem periti Logici, inter res *facti* seu *memoriæ*, & *juris* seu *judicii* hoc esse discrimen, quod illæ quidem firmamentum aliquod a testimoniis accipiant; hæ non item, & omnis quæ his ex auctoritate mere humana accedere putatur probabilitas, *popularis* sit & *indocta*, non erudita. *Utar*, scribebat olim Seneca Epist. 117. *hac publica persuasione*; cum præmisisset, *apud suos hoc argumentum veritatis esse, aliquid omnibus videri.* Et Seneca vetustior Tullius in Topicis cap. 19. *Ingeniosos* inquit, *& opulentos, & ætatis spatio probatos, dignos quibus credatur, putant; non recte fortasse. Sed vulgi opinio mutari vix potest.* Novi quidem Aristotelem in Topicis Libr. I. cap. 1. *probabile* dixisse id, *quod videtur omnibus, vel pluribus, vel sapientioribus, & his quidem vel omnibus, vel pluribus, vel maxime celebribus.* Sed dixit eo loco, ubi nihil se accurate pertractaturum est professus: τὸν ἀκριβῆ λόγον ἀποδοῦναι, ut hinc liqueat Philosophum nullam ibi aliam quam *popularem* probabilitatem definire voluisse. Et certe *veritatis cupidus, quod animo satisfaciat, nihil quidquam hic inveniet*, verba sunt recentioris Logici. *Quid enim? dicet hic, an probabilitatem*

in

in opinionibus hominum quærere debeo? quippeni potius in ipsa re quæram? — Sed si quid vel maxime in opinionibus hominum quærere probabile velim, an quæso poterit succedere negotium? Debeo consulere omnes, plures & Sapientes: quod idem est, ac si de vita pie instituenda consulere Christum & Belial juberer. Nam in probabilibus certe, ubi evidentia rei intellectum usque adeo convincere nequit, vix umquam consentient sapientes cum pluribus nedum cum omnibus. Si itaque plures affirment, sapientiores negent, quidnam erit probabile? Et sane, an intellectus veritatis amans sibi aliquam formabit ideam eruditæ probabilitatis ex eo, quod plures consentiant? Quidquid sit, hoc saltem Aristotelica *probabilis* definitio præstat vestræ R. Pater, quod cum illa *omnes*, vel *plures sapientes* suffragatores postulet; vestra *unico* etiam sit contenta. En iterum aliquod doctrinæ Probabilisticæ caput, quod Ethnicorum sapientia respuisset.

§. V. Neque tamen existima, ex horum dumtaxat sententia me hanc vestram hypothesim velle refellere; sunt ex Orthodoxis plurimi quibus ea summopere displiceat. Ignosce autem, quod auctoritatem ipsam auctoritate hic impugnem; nam exemplo tuo adductus id facio, qui illi tantum tribuas; quamquam eam nudam sine ratione loquentem nullam tibi sim repræsentaturus. Itaque auctoritatem, cui tuto quis eo solo nomine, nedum in rebus *memoriæ*, sed etiam *judicii* confidere possit, Doctores Catholici aliam non agnoscunt, quam

Divinam, & quæ hinc derivatur *Eccleſiaſticam*, in Conciliis Generalibus, Romanoque Pontifice, Chriſti in terris Vicario reſidentem. Aliis tantum tribuunt, quantum probant; unde non illa, ſed rationibus acquieſcunt. *Quomodo* autem *non abſurdum, propter pecunias aliis non credere, ſed ipſas numerare & ſupputare; pro rebus autem amplioribus aliorum ſententiam ſequi ſimpliciter, præſertim cum habeamus omnium exactiſſimam trutinam & gnomonem ac regulam, Divinarum inquam Legum aſſertionem*, ait S. Chryſoſt. hom. 13. in II. ad Corinth. Cap. 7. Qui cæce auctoritates huiusmodi conſectantur, vitio laborant, quod eruditi *præiudicium auctoritatis* vocant.

§. VI. Non me quidem fugit, etiam Sanctis Eccleſiæ Patribus in doctrina præſertim fidei & morum plurimum eſſe tribuendum, ita ut ubi circa dogma aliquod *unanimis*, *perpetuuſque* eorum conſenſus conſtiterit, ne fas eis ſit refragari, Sed hoc idcirco eſt, quod conſenſus eiusmodi ipſam Eccleſiæ doctrinam nobis exhibeat, & Traditionis non interruptæ certiſſimus ſit teſtis; ut proinde ſi res accurate expendatur, fides quæ SS. Patribus tum adjungitur, reapſe ſit *hiſtorica*. Quamquam ſi quis in tali conſenſu Concilii cuiusdam Generalis auctoritatem ſuſpicere & revereri malit, quaſi ſcilicet parum interſit, animiſne ſolum & ſententiis, an etiam locis Patres coiverint, non repugnabo; modo ne auctoritas mere

huma-

humana ſine ratione, irrefragabile argumentum, cui Theologum cedere oporteat, ſtatuatur. Imo cum hoc ipſum locum dumtaxat obtineat, ubi conſenſio hæc *concors* fuerit ac *perpetua*, liquido conſtat non idem de unius aut alterius S. Patris ſingulari auctoritate eſſe dicendum.

§. VII. Recte quidem, inquis; ſed hactenus, ut ab ea *firmum* argumentum duci haud poſſit; non vero ut nequeat *probabile*, quando etiam ipſe Melchior Canus, quo nemo exactius Locos Theologicos tractavit, Libr. VII. cap. 3. fateatur, *Unius aut duorum Sanctorum auctoritatem in his quæ ad Sacras Litteras & doctrinam fidei pertinent, probabile argumentum poſſe ſubminiſtrare.* Multum Cano, ſi quisquam alius, R. Pater honorem habeo, maioremque quam quidam tuæ Societatis; ſed quia non tam auctoritatis eius præiudicio, quam ratione ad id permoveor, hinc ad ſummum in eum caſum interpretandum eam dico, quo *ceteri Patres* prorſus de opinione illa aut dogmate *ſileant*; non vero quo *uni illi omnes adverſentur.* Id ut ita Cano perſuaſum fuiſſe credam, inducor potiſſimum iis, quæ concluſioni ſuæ ibi ſubiicit verbis: nempe, *quod ſanctorum quisque, his dumtaxat exceptis, qui Libros Canonicos ediderunt, ſpiritu fuerit humano locutus, & aliquando vel in eo errarit, quod ad fidem ſpectare poſtea demonſtratum eſt.* Quæ quidem animadverſio eiusmodi eſt, ut ſola probabilitati, ex unius dumtaxat auctoritate con-

ficiendæ, obſtruere poſſe videatur. Si enim falli eorum quiſque potuit, & interdum fallus eſt, nulla mihi ratio ſuppeditat, cur nuda cuiuspiam ex iis auctoritate ſim contentus, quando nihil etiam ſuccurrat, quod cum hac in re hallucinatum minime fuiſſe oſtendat; imo erroris ſuſpicionem non levem aliorum omnium refragatio iniiciat. *Sanctus vero is fuit* (utar porro verbis Cani) addo etiam *eruditus*, & ſi vis, *omni exceptione maior*, *qui credidit ab hæreticis baptizatos eſſe rebaptizandos*; *Sanctus fuit*, *qui in Chriſti corpore et ſenſum pœnæ & dolorem fuiſſe negavit*, *Sanctus fuit*, *qui in Chiliaſtarum dogma deſcendit*; & ut e re morali etiam exemplum petam *Sanctus fuit*, *qui viro ob adulterii culpam uxorem repudianti*, *alterum matrimonium conceſſit*. Neque tamen reor, opiniones has continuo, ac ab iis Patribus ſunt aſſertæ, ſola eorum nominis auctoritate evaſiſſe *probabiles*, ut tuto quis, cui *minus probabiles*, aut prorſus *falſæ* viderentur, eas idcirco etiam ante decretorium Eccleſiæ contra eas judicium, amplecti poſſet.

§. VIII. Sed præſtat eos ipſos hic audire, de quorum auctoritate diſceptatur. Non poterit eorum ſententia in cauſa propria cuiquam eſſe ſuſpecta. Duos vero præ aliis laudabo Hieronymum & Auguſtinum, quod nemo fere. Patribus, his in Eccleſia Dei ſit venerabilior. Prior ergo Epiſt. 152. ad Minerium & Alexandrum, cum antiquiorum ſe Patrum teſti-

teſtimonia quædam laudaſſet, hæc ſubiicit: *Hæc celeri ſermone dictavi, quid eruditi viri de utroque ſentirent loco, & quibus argumentis ſuas vellent probare ſententias, veſtræ prudentiæ exponens. Neque enim tanta eſt meæ puſſillitatis auctoritas, qui nihil ſum, & invidorum tantum morſibus pateo, quanta eorum qui nos in Domino præceſſerunt; nec juxta Pythagoræ diſcipulos præiudicata Doctoris opinio, ſed doctrinæ ratio ponderanda eſt. Si quis contrariæ factionis, immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorum dogmatibus non acquieſco, ſciat me illud Apoſtoli libenter audire: Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* In prœmio autem Epiſt. ad Galatos hoc ipſo nomine laudat Paulum: *Neque vero more Pythagorico, quidquid reſponderam, rectum putabat; nec ſine ratione præiudicata apud eum valebat auctoritas; ſed examinabat omnia, & ſagaci mente univerſa penſabat, ut me ſentirem non tam diſcipulum habere, quam judicem.* Alter ſeu Auguſtinus Epiſt. 19. ad Hieron. in hæc verba ſcribit: *Fateor charitati tuæ, ſolis eis ſcripturarum Libris, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem ſcribendo aliquid erraſſe firmiſſime credam, — Alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate, doctrinaque præpolleant; non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt. Nec te mi frater ſentire aliter exiſtimo.* Et Epiſt. III. ad Fortunat. *Neque enim quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum*

num velut ſcripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi forte invenerimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, Divino *adiutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis.* Subdit vero: *Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum.* Ac denique Epiſt. 112. ad Paulin. *Si quid Divinarum Scripturarum perſpicua firmatur auctoritate, ſine ulla dubitatione credendum eſt. Aliis vero teſtibus vel teſtimoniis, quibus aliquid credendum eſſe ſvadetur, tibi credere vel non credere liceat, quantum eā momenti ad faciendum fidem vel habere, vel non habere perpenderis. — Hæc prælocutio mea te, atque alios qui iſta lecturi ſunt, præſtruit quales ſeu meorum, ſeu quorumlibet Scriptorum judices eſſe debeatis.* Hæc Auguſtinus.

§. IX. Non ſuſpicabuntur autem, credo, Auguſtinianæ auctoritatis & doctrinæ Vindices, me quidpiam huius Sanctiſſimi Doctoris gloriæ hic detractum ire, quod ex eius ſuffragio *probabile* etiam argumentum duci negem. Nihil minus, quam has paro inſidias; nuspiam minus, quam hic Eius exiſtimatio periclitatur. De *nuda* enim *auctoritate*, præciſe ſpectata hæc attuli, non etiam de munita rationum præſidio, quod certe in Auguſtini ſcriptis, ubi docet aut adſtruit quidpiam, paſſim occurrit firmiſſimum. De *uno* ſolum locutus ſum; quum ipſe in dogmatibus

ſuis

ſuis tot ſibi aſſentientes habeat, quot pæne ex Latinis Patribus poſt eum ſcripſerunt. *Seorſum ab Eccleſiæ judicio* hæc intellexi; quæ tamen, præſertim in his quæ adverſus Pelagianam & Semi-Pelagianam hæreſim diſputavit, Auguſtinum veluti os ſuum & interpretem agnoſcit, eademque auctoritate ſua dudum probavit. Execranda hic potius venit eorum temeritas & audacia, qui cum recentioris cuiuspiam Theologaſtri auctoritate tuto aliquem acquieſcere poſſe pertendant, auſi tamen ſunt non maiorem Theologorum Aquilæ Auguſtino concedere, *quam rationes ab eo allegatæ evincant*, pluraque alia contumelioſa huic Eccleſiæ Doctori præcipuo effutire, quorum indiculum tum Facultas Lovanienſis in Epiſt, ad Innocentium X. data, tum Cardinalis Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis; tum denique Auctor epiſtolæ, nomine Launoii ex Elyſio ad Præpoſitum Generalem S. I. Scriptæ texuerunt. Videtur plane eadem ſors huic Patri Sanctiſſimo obtigiſſe, quæ olim in Iobo luſit. Hic prius *cum procederet, videbant eum juvenes, & abſcondebantur, & ſenes aſſurgentes ſtabant: principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat*. Iobi Cap. 29. At quid ei poſtea evenerit, ipſe ſequenti capite deſcribit. *Nunc autem*, inquit, *derident me juniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei - - - Nunc in eorum canticum verſus ſum, & factus*

ſum eis in proverbium: abominantur me, & longe fugiunt a me, & faciem meam conſpuere non verentur.

§. X. Sed bene habet, quod hodierni Probabiliſtæ in ipſo etiam, licet alioqui ſibi adverſario, Auguſtini ſæculo, perverſæ ſuæ ſententiæ exemplum invenire queant, ut non teſtimoniis ſolum, ſed exemplis quoque refellantur. Narrat nempe hic Sanctus Pater Libr. de Peccato origin. qui eſt ſecundus contra Pelagium & Cœleſtium, cap. 3. quod cum Cœleſtius in Synodo Carthaginenſi conſtitutus, *dubitare* ſe dixiſſet *de peccati originalis traduce, quia diverſa ab eis audiviſſet, qui in Eccleſia, Catholica conſtituti ſunt Presbyteri;* rogatus a Paulino Diacono, ut eorum nomina ediceret, reſponderit: *Sanctus Presbyter Ruffinus Romæ, qui manſit cum Sancto Pammachio; ego audivi illum dicentem, quia tradux peccati non eſt.* Cumque inſtaret Paulinus, ut *plures* ſi haberet, ediſſereret; Cœleſtius hac demum ratione ſe tuitus ſit: *Non tibi ſufficit unus Sacerdos?* Optarem ego, mecumque omnes boni, ut ſimili Probabiliſtarum noſtrorum argumento, quod ab *unius* auctoritate æque ipſi ducunt, tantum ab aliis deferetur, quantum a Patribus Carthaginenſibus Cœleſtio eo nitenti eſt delatum, hoc eſt ut tam præclari illius architecti una cum eo valere juberentur. *Ne igitur*, finio hoc caput verbis Lactantii Libr. II. Inſtit. Div. cap. 13. *trahamur auctoritate cuiusquam; ſed veritati potius faveamus & accedamus.*

damus. Nullus hic temeritati locus eſt. In æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.

Caput XXVI.

Dicta prioris capitis peculiariter Auctoribus recentioribus accommodantur.

§. I.

Proximo capite probabilitatem ab auctoritate *unius pii doctique* viri duci poſſe ita negavi, ut id privilegii ne quidem Sancto alicui Patri concedendum putarim, ne novitio alicui Theologo concedere cogerer; quo quidem pacto, haud æque ſatis, minores hos ignes cum fulgidiſſimis illis Eccleſiæ luminibus videri potui comparaſſe. Saltem præfatione conſueta uti oportebat

— — Si parva licet componere magnis.

§. II. Unde retracto potius dicta; & ne parum reverens modeſtusque apud nonnullos audiam, aut plane in eam ſuſpicionem veniam, quaſi adſtipulari voluerim Lovanienſi illi e Molinæ ſchola Profeſſori, qui docere palam, diſcipulisque dictare non erubuit, *Auguſtinum fuiſſe Doctorem perinde, ac alium quempiam etiam modernorum;* ut inquam periculo huic me ſubducam, largior non invitus, eam Sanctorum

rum Ecclesiæ Patrum esse auctoritatem, ut quæ vel unum ex iis suffragatorem habet opinio, eo ipso *probabilis* efficiatur, tutoque quivis, nisi Ecclesiæ decretum obstet, eam sectari possit: & nego pernegoque, id ulli ex R. R. Casuistis, quamvis *docto* & *pio*, debere aut posse aptari.

— — — Quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hœdi
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

Lucret Libr. 3.

Nimirum non pluma dumtaxat, ut aiunt, inter hos & illos interest; sed ingens ut temporum, ita & rerum intervallum.

III. Et primum quidem ad Patres passim, antiquosque, juniorum curiositatem ablegat Spiritus Sanctus, ut Proverb. 13. *Multi cibi in novalibus Patrum; & aliis congregantur absque judicio.* Item Job. 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia* Eliu vero hominis *involventis sententias sermonibus imperitis* ea vox fuit Jobi 32. *Non sunt longævi sapientes, nec senes intelligunt judicium.* Accedit ingens in illis vitæ meritum; Scripturarum usus & intelligentia, nostra multo maior & purior; Apostolicorum temporum vicinitas; eruditio & sanctitas judicio Ecclesiæ probata; sincerum veritatis studium, nullis cupiditatibus aut prurigine contradicendi infuscatum: quæ quanto magis corruptum nostrum sæculum deficiunt aut inficiunt; tanto

veteres

veteres illos Patres præ novitiis istis Casuistis nobis magis reddunt verendos. Quo fit, ut nedum singuli horum, eorum singulis conferri non possint, sed *centenorum recentiorum auctoritas vix unius Sancti Patris auctoritati æquivaleat*, ut inquit P. Cocq. Tom. I. Princ. Theol. tr. 2. cap. 6. sect. 5.

§. IV. Est etiam ea in modo opinandi inter utrosque differentia, quod *licet*, ut observat laudatur sæpius Cardinalis de Aguirre loc. cit. *Sancti Patres aut Doctores celebres aliter atque aliter circa varias quæstiones morum interdum censerent; unusquisque tamen pius ac prudens id agebat, vel consulebat aliis, quod post debitum examen judicabat verum, aut saltem longe conformius Canonibus sacris, rationi & æquitati.* Quum tamen nostri Probabilistæ non id semper agant, aut aliis agendum suadent vel præcipiant, quod vero propius ipsis apparet; imo nec quid propius sit, sollicite inquirunt; sed stando suis principiis ea non raro adoptant, quæ falso propriora esse agnoscunt, ut vel hinc pateat, securiores longe eos præ istis esse morum doctrinæ duces.

§. V. Atque hæc satis efficacia fore puto, quo illius tuæ ratiocinationis infirmitas retegatur, dum a Doctoris Angelici exemplo concludere conaris, posse defacto *unius* etiam præstantis Viri auctoritate opinionem quampiam reddi *probabilem*; quam in rem P. Gallego recitas verba: *Angelicus Doctor multa scripsit, &*

docuit

docuit contra alios, qui ante ipſum ſcripſerùnt: & tamen Eius opiniones, ſtatim ac ab ipſo traditæ ſunt, exiſtimatæ fuerunt probabiles. Nam da tu mihi R. Pater ex R. R. Caſuiſtis quempiam Doctori Angelico per omnia parem, cuiusque doctrina & ſanctitas perinde ab Eccleſia recognita ſit, & probata; & faciliorem aliquanto in ſubſcribendo tibi invenies. At id ut præſtes, nequidquam forte es enixurus.

§. VI. Neque enim quod e. g. Conimbricenſe Collegium in uno ex epitaphiis Suarezium appellarit *Europæ atque adeo Orbis univerſi Magiſtrum; Ariſtotelem in naturalibus ſcientiis; Thomam Angelicum in Divinis; Hieronymum in ſcriptione, Ambroſium in cathedra; Auguſtinum in polemicis; Athanaſium in fidei explicatione, Bernardum in melliflua pietate; Gregorium in tractatione Bibliorum, ac verbo oculum populi Chriſtiani:* aut quod Vasquezius apud Nierembergium cap. 38. Vitæ S. Ignatii audiat *Sol Theologiæ; Magiſter Magiſtrorum, & Doctorum; homo admirabilis; Angelus vita atque intelligentia; Magiſter, ſol, lux Theologiæ, qui ſine ullius iniuria, jure mereatur nomen Doctoris orbis, quemadmodum ætate ſua glorioſiſſimus Chryſoſtomus;* non inquam, quod hi honorum tituli a privatis quibusque in eos congeſti ſint, idcirco totius Eccleſiæ ſenſum ac judicium irrefragabile de iis exprimunt; ut perinde fuerit ad probabilitatis opinionem morumque regulam, eorum

alteri

alteri quidpiam, ac Doctori Angelico esse visum. Nam ipsi quidem sibi mutuo, dum viverent eas laudes non addixerunt, cavillis ac conviciis satis liberaliter se in scriptis suis insectati; & nihilominus utriusque opiniones plusculæ censorio stigmate ab Ecclesia sunt confixæ. De Suarezio vero memorabile plane est Cardinalis Perronii judicium, illius scilicet, quem Thomistarum adversarii maximi faciunt, dum eius de prædeterminatione ad Pontificem dictum urgent; hic vero oro, ne recusent. Legitur autem in Perronianis tit. Suaraz. *Suarez* inquit Clarissimus Cardinalis, *in factis & dogmatibus antiquis, mortalium omnium ignorantissimus est. Librum ab illo editum obtulere mihi Jesuitæ Taurinenses, magno apud illos pretio habitum. Quibus ego innumera testimonia intento digito designavi: adeo inepte, stolide & ignoranter ab illo extorta, ut nihil magis; atque etiam omnino falsata. Hunc acutissimum Doctorum omnium Metaphysicum haberi dixit P. Coëffetæus; cui respondi, sit ita; sæpius tamen puris putisque sophismatibus evanescit. Suarez Scholasticorum omnium pessime de Divina Eucharistia scripsit.* Hæc ille, non ego. Absit enim ut Doctori Eximio.

— — — Detrahere auſim
Hærentem capiti multa cum laude coronam;

tantum ne Doctori Angelico exæquetur, eiusque pariter auctoritatis obtentu opinioni alicui probabilitas asseratur, deprecor.

§. VII.

§. VII. Quamquam non video etiam, quid ipse adeo Gallego sibi voluerit, cum dixit, *Doctoris Angelici opiniones statim ac ab ipso sunt traditæ, existimatas fuisse probabiles.* Duplex his verbis sensus subesse potest; sed neuter probabilis, aut huc conducens. Si enim id dicere voluit, Sanctum Doctorem quasdam probasse opiniones, quæ aliis ante eum minime fuerunt probatæ; id quidem fieri potuisse non nego; sed factum ita contendo, quod momenta earum opinionum ei visa sint maiora, adeoque & opiniones ipsæ veritati longe propiores, quam oppositæ. Non enim Doctor hic sanctissimus, opinionissimo illi Probabilistarum nostrorum principio erat innutritus, ut fas esse existimaret utramvis ex duabus opinionibus in re morali amplecti, eam etiam quæ minorem veri speciem alicui referre videretur,& nihilominus libertati contra legem faveret; sed illam ut plurimum, quam speculator animus post diligens rei examen aperte ad veritatem propensiorem esse deprehenderet. Unde si & ipse aliquas subinde excogitavit vel ab aliis excogitatis accessit, quæ ceterorum puncta non tulerunt, magna non nisi certaque ex ratione id fecisse existimandus est. Quamquam vellem R. Pater ut aut Gallego, aut Moya, ex quo tu hoc sumpsisti, ad liberandam asserti fidem catalogum texuisset earum opinionum moralium libertati conniventium, quas *Doctor Angelicus*, ut prætenditur *contra alios, qui ante ipsum scripserunt, tradidit*, & excogitavit. Nam certe ut ma-

magnus veterum R. patrum venerator fuit S. Thomas, ita & novitatis hostis; nec facile vel fallente vestigio ab iis discessit. De Theologis vero suorum temporum generatim pronuntiavit Quodl. 3. art. 10. *In iis quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri.* Alibi vero, scil. 22. quæst. 17. art. 2. hanc regulam circa usum auctoritatis tradidit: *Homo in his, quæ ad propriam personam pertinent, debet informare conscientiam suam ex propria scientia.* Libertati vero humanæ fræna plane non laxavit.

§. VIII. Sed demus ita factum, & S. Thomam ex proprio cerebro, sine duce, *novas* aliquas in doctrinam morum intulisse opiniones, quæ libertati contra legem suffragarentur. Dico licuisse etiam alii cuicumque eas amplecti, si modo manifesto veri similiores, uti Doctori Angelico repræsentatæ sunt, ei etiam viderentur, non vero solo illius auctoritatis prætextu. Neque enim Is diversam in eligendis opinionibus regulam aliis tum præscribere potuit aut voluit, ab ea, qua ipse usus est in iis amplectendis, nempe *ut in omni controversia, quid esset simillimum veri, quæreretur.* Imo id etiam nunc fieri posse ultro largiór, ut si cui sua, aut paucorum aliorum opinio contra plures, omnino videatur *probabilior*, is eam missa altera secure adsciscere possit, eique in agendo se conformare. Sed eo casu tota vis in rationum

num pondere ſita erit, non præſumpto dumtaxat (nam ſi præſumtionis hic habeatur ratio, hoc potius, perinde ac veritas opinioni contrariæ plurium ineſſe præſumetur juxta doctrinam S. Thomæ 2. 2. quæſt. 70. art. 2. in ⊙) ſed propria indagine explorato; perindeque tunc erit, ut ſupra monebamus, eam opinionem a Viro quopiam *docto* & *pio*, ac ab alio infimi etiam ſubſellii fuiſſe excogitatam, vel ab ipſo operante. Quamquam eo in caſu magna cautione eſt opus, ne amor proprius aliive pravi affectus nobis illudant, ita ut veritatem cupiditatum noſtrarum faciamus pediſſequam, veriſſimeque dici de nobis poſſit:

Verum putant haud ægre, quod valde expetunt.

§. IX. *Alter* quem Gallego verbis ſuis ſenſum ſubiicere potuit eſt, opinones a S. Thoma traditas, continuo ac ab illo traditæ ſunt, ſola nominis Eius auctoritate tutas, univerſim evaſiſſe *probabiles*, ut ab aliis etiam quibuscumque, nullo delectu, nulla probabilitatis intrinſecæ habita ratione, adſciſci poſſent. Et id quidem nulla veri ſpecie dicitur. Non repetam, quæ circa eam rem ſuperius jam a me dicta ſunt. Duo ſolum eius ſententiæ adducam conſectaria, ut illius inanitas omnibus non obſcure pateſcat. Nempe ſi in diiudicandis opinionibus normæ inſtar eſſe debeat, aliquid Sancto Thomæ eſſe viſum, efficitur hinc, opiniones illius proprias mox ut ab eo traditæ ſunt, non *probabiles* modo, ſed & *probabiliores*

fuiſ-

fuiſſe exiſtimandas, imò earum aliquas fortaſſe plane *veras;* quando & ille, ut credere par eſt, non alia ex cauſa eas amplexus ſit, niſi quia ei aperte *probabiliores* aut prorſus *veræ* viſæ ſint. Dabiſne id cum fœderatis tuis R. Pater? hærebit certe aqua, an des? nec tamen, quomodo te expedias invenies. Et quid ſi eo argumento tibi porro inſtem, illudque ad alium quempiam S. Thomæ ſupparem e. g. S. Bonaventuram transferam? Quid inquam dicturus es de opinionibus, quas ille ſibi peculiares habuit, & contra S. Thomæ doctrinam tradidit? in quibus tamen amplectendis eodem procul dubio etiam ipſe, quo S. Thomas conſilio eſt uſus, veri ſcilicet inquirendi. Vel neutrius opiniones, ſola eorum nominis auctoritate probabiles evaſiſſe fatendum tibi erit, vel utriusque *probabiliores* aut plane *veras*, etſi oppoſitas; quod quidem poſtremum dicere monſtruoſum eſt.

§. X. Sed illud fortaſſe non minus (eſtque alterum illius ſententiæ conſectarium) effici nempe hinc, quod quæcumque olim a S. Thoma traditæ fuerunt opiniones, non tantum potuiſſent ſed debuiſſent etiam ab omnibus admitti ut *probabiles*. Non licuit ergo S. Bonaventuræ ullam ex opinionibus S. Thomæ ceu *falſam* aut *improbabilem* arguere, non Scoto, non Durando, niſi ut agendo Auctoris ipſius *pietatem* & *doctrinam* in dubium revocare, aut plane inficiari voluiſſent. Si enim ſola hæc duo tantum ad

opinionis alicuius probabilitatem habent momenti, ut ubi dextras ſibi præbuerint, per ſe ſe opinionem *probabilem* efficiant, uti per te ex Gallego in S. Thoma factum hic obtenditur; profecto opinionum illius probabilitatem inficiari idem erat, ac eminentem eius doctrinam & virtutem, unde probabilitas neceſſario orta eſt, negare.

§. XI. Quanto melius igitur utrorumque famæ & dignitati conſulitur, ſi totum iſtud probabilitatis ab auctoritate mere humana ductæ in rebus *judicii* commentum explodatur, iisdemque ipſis Summis Viris ignotum fuiſſe ſtatuatur. Ita enim nec S. Thomæ eminens periclitatur *doctrina* & *ſanctitas*; & ab iis quos ipſe adverſarios doctrinæ habuit, omnis impudentiæ, malignique animi nota abſtergitur. Quod ſi quid venerationis deinceps opinionibus S. Thomæ ab auctoritate acceſſit, id Summis Pontificibus, legitimis earum rerum Cenſoribus, qui nedum de ſanctitate illius, ſed etiam doctrina eximia, illiusque *tutis & inconcuſſis dogmatibus* toties luculentiſſime pronuntiarunt, in acceptis eſt referendum.

§. XII. Et quando S. Thomas hic nobis jam dimittendus eſt, ne quis ob dicta hactenus, minorem meam erga Eum, quam par ſit, ſuſpicetur eſſe, obſervantiam, juvat gemina ſubſicere de morali eius doctrina, poſt natos jam Probabiliſtas, Virorum Summorum judicia.

Eorum

Eorum *prius* continetur voto Alexandri VII. Pont. Max. quod is Patribus Prædicatoribus in Comitiis Generalibus congregatis declarari juſſit eo tempore, quo tot opinionum monſtra in republica Chriſtiana caput extulerunt, referturque a P. Vincentio Baronio in Epiſt. præfixa Operi Julii Mercori: Nempe *tædere Beatiſſimum Patrem tot novarum opinionum hoc ſæculo in Theologiam Moralem inductarum, quibus diſciplina Evangelica reſolvitur, ac conſcientiis cum gravi animarum periculo illuditur: & ſe maxime velle a Theologis Dominicanis in Eccleſiæ hoc morbo laborantis remedium, opus parari ex ſeveriori & tuta Sanctiſſimi Præceptoris doctrina, quo hæc morum & opinionum licentia, quæ in dies graſſatur, quaſi cauterio cohibetur. Alterum* eſt Cardinalis Hieronymi Caſanatæ, exſtatque apud P. Graveſon in Hiſt. Eccleſ. ſæc. XVII. Tom. 8. colloq. 5. qui dicere ſæpe ſolitus erat: *Felicem orbem fore, ſi una S. Thomæ doctrinæ ubique obtineret; unus in Scholis & Academiis Thomas Doctor audiretur; conſuleretur in dubiis. Nullæ eſſent in orbe hæreſes; nulla in Morali mollis & geniis accommodata, quæ conſcientias hominum regit, relaxatio; nulla in Myſtica Theologia, quæ ſanctitati viam ſternit, exerratio aut illuſio: ſed ubique in Scholis vetuſta Patrum regnaret Theologia, cuius beneficio facile reprimi poſſent errores ac novitates, quibus oppugnari fidem ac Religionem Catholicam nonnumquam afflicta ingemiſcit Eccleſia.*

* * * * * * * * * * * * *

CAPUT XXVII.

Eiusdem conditionis inutilitas respectu RR. Casuistarum ostenditur.

§. I.

Quædam prioribus Capitibus passim tibi largitus sum R. Pater, alias fortasse a me haud concedenda. Nunc vero aliquid, quod certe maximum est, ac plane ex voto tuo, tibi largiar, nempe ad constituendam opinionem quampiam *vere probabilem* satis esse *unius Viri docti ac pii, seu omni exceptionc maioris*, etiam hodierni suffragium. Id solum caveo, ut ne tu idem de opinionibus severioribus legi faventibus inficieris, sed eas pariter *unius æque pii ac docti Viri* auctoritate ptobabiles effici agnoscas. Quod quidem spero non difficile te mihi daturum, ne dispar alioqui utriusque nostrum sit conditio, & nullo compendio causæ, diverso jure utamur.

§. II. Quid ergo, inquies, est, ne transfuga in Probabilistarum castra jam commigrem; & nomen dem tam frequenti factioni? Oppido multis R. Pater intercludor, & isthic etiam est, quod impedit, ingens nempe illa ac fere insuperabilis in discernendis *omni exceptione maioribus Viris* difficultas, ratioque nullis certis regulis illigata eos agnoscendi: per quam conditio

ditio illa inutilis ac prorſus inanis redditur. Jure enim hic cum Corſino eamdem, etſi tibi tantopere moleſtam quæſtionem inſtaurare poſſum: *Quos auctores atque Theologos eſſe putabimus, quos vos graves, prudentes, ac religioſos appellatis?* Cicero cum ſimile ſtoicotum dogma Libr. IV. Acad. quæſt. retuliſſet: *omnia ſe credere ei, quem judicent fuiſſe ſapientem; probarem* inquit, *ſi id ipſum rudes & indocti judicare potuiſſent. Statuere enim quis ſit ſapiens, vel maxime videtur eſſe ſapientis.* Nempe, verba ſunt Plinii I. Epiſt. 10. *Ut de pictore, ſculptore, fictore niſi artifex judicare; ita niſi ſapiens non poteſt perſpicere ſapientem.* Ex eodem principio alter Cicero, ſed Chriſtianus, concluſit Libr. IV. Inſt. Div. cap. 1. pervulgatos illos Græciæ Sapientes; tales revera dici haud potuiſſe. *O miſerum*, inquit, *ſæculum! quo per orbem totum ſeptem fuerunt ſoli, qui hominum vocabulo cierentur. Neque enim poteſt dici homo, niſi qui ſapiens eſt. Sed ſi ceteri omnes præter ipſos ſtulti fuerunt, ne illi quidem Sapientes: quia nemo eſſe ſapiens judicio ſtultorum poteſt.* Ita plane & ego ſtatuo, nemo *pius* & *doctus* eſſe, niſi judicio pii & *docti* poteſt. At ſi is, qui *pium* & *doctum* aſſertorem alicuius opinionis inquirit, jam talis ſit, alterius auctoritate ad conſciſcendam ei probabilitatem non egebit, ſatisque erit, ſi ipſe ei ſuffragetur. Mirabilis hercle diſciplina, ut quis de opinionis alicuius probabilitate ac ſecuritate dubius, hoc ipſo utramque ei impertiatur, quod deſi-

nat dubitare, itaque dubium in argumentum vertat aſſenſionis.

§. III. Deinde percontari hic lubet, qualem eſſe oporteat illam propriæ vel alienæ *virtutis* ac *doctrinæ* cognitionem; *certamne*, an ſufficere *probabilem?* Et mirandum quidem eſſet, ſi ad conciliandam actioni cuipiam *honeſtatis* opinionem ſatis foret, *probabiliter* ſolum *honeſtam* eam videri; ad faciendam vero ſuæ vel alienæ *doctrinæ* ac *pietatis* fidem ſatis non foret, *probabiliter* ſolum quempiam videri *doctum* & *pium*. At hinc novum conficitur abſurdum (quod tu procul dubio cum *melioribus probabiliſmi patronis* es deprecaturus, etſi deprecati non ſint Tamburinus, Illſungius, Archdekinus &c.) nempe ad licitum opinionis *probabilis* uſum non requiri, ut ea *certo* ſit *probabilis*, ſed ſatis eſſe, ſi vel *probabiliter* ſit *probabilis*. Nequit enim ob *pietatem* & *doctrinam* Auctoris, *certo probabilis* dici opinio, dum *doctrinæ* illius & *pietatis*, unde ea probabilitas fluit *nulla* habetur *certitudo*, ſed mera dumtaxat *probabilitas*. Itaque dicendum erit potius, *certitudinem* illius criterii requiri. Verum unde, hanc quis capiet, etiam *moralem* ſolum? Ex fama & rumore publico? at vereor, ut teſtis hic ſit ſatis idoneus, qui prout affecti fuerint homines, pleraque omnia vel in maius ſolet extollere, vel æquo plus deprimere. Phariſæi olim in ore hominum præ ceteris Legis divinæ audiebant peritiſſimi, iidemque obſervantiſſimi;

mi; & tamen eos *cæcos*, *ducesque cæcorum* vocavit Chriſtus. Aliud nempe eſt eſſe, aliud videri. Sunt etiam nunc

Qui Curios ſimulant, & Bacchanalia vivunt,
Indocti primum &c.

Juv. Sat. 2.

§. IV. Accedit quod hoc ſæculo, in Germania præſertim, ad præſtantis alicuius *ſapientiæ* & *doctrinæ* famam conſequendam, haud ita multum vulgo requiratur. Si quis in Doctorum ordinem alicubi ſit adſcriptus, vel ſeveriores diſciplinas docendo etiam profiteatur, jam populari perſuaſione *doctiſſimus* putatur. Væ qui contra appellationem hanc quidpiam molitus fuerit, aut minus magnifice hominem eam ſibi arrogantem compellarit. Alioqui & ipſi in ea ſibi adſcribenda liberales ſunt, & in impertienda aliis ad ſuperſtitionem uſque religioſi. Nullum ergo certum indicium pro eximia eorum *doctrina* hinc capi poteſt.

§. V. An fortaſſe ex vulgatis ab iis ſatis interdum ſpiſſis de re morali voluminibus? At in tanto ſcribendi cacoëthe multos reperias, in quos quadret Græcum proverbium *μέγα βιβλίον μέγα κακὸν*. *Innumeri*, ait P. Michaël Elizaldc S. J. Part. II. libr. 6. quæſt. 15. §. 5. (*quibus nulla alia ſcientia crederetur, Moralem Theologiam non ſolum docent, & quorumcumque conſcientias regunt, & caſus reſolvunt;*

ſed libros etiam edunt. Hanc enim omnes præſumunt, & non niſi tacerent neceſſe eſt.

§. VI. Quo igitur fluctuans animus ſe convertet? Bibliothecarum Scriptores in conſilium adhibebit? at etiam hic erit, quod eum demoretur. Nam præterquam quod de Scriptoribus ipſis hæſitabit, an fide digni ſint? inſuper negabit ſe tutum in iis greſſum figere poſſe, poſtquam legerit, eos etiam illic maximis tum ob eximiam *pietatem*, tum ſummam *doctrinam* ornari laudibus, quos conſtet multa *impia*, *ſcandaloſa*, *pernicioſa*, *Scripturæ & Conciliis adverſa* libris ſuis adſperſiſſe. Molliter oſſa cubent Virorum laboribus & viciſſitudinibus huius vitæ perfunctorum; ſed dic amabo R. Pater, inducetne prudens quiſpiam animum, cui opinionum damnatarum cogniti ſunt Auctores, ut ab ore Sanchezii, Vasquezii, Caſtropalai, Tamburini, Laymanni, Filliucii, Eſcobarii, Baunii ceterorum, pendere velit; ſalutemque ſuam eorum fidei credere ex eo ſolum, quod Alegambius, aut Sotvellus in ſua Scriptorum Bibliotheca eos ceu *morum ſanctiſſimorum exempla; homines vitæ puriſſimæ, innocentiſſimæque nulla unquam graviori labe taminatæ; modeſtiſſimos; humillimos; pauperrimos; antiquæ probitatis; Angelos; ſanctos; abſolutiſſimos Theologos; Juris utriusque peritiſſimos; moralium Scriptorum Principes; conſcientiarum mire dextros rectores; profunde doctos; ſplendidiſſima Moralis Theologiæ lumina &c.* prædicent? Fallax igitur, minimeque

accu-

accurata enim hæc eſt Auctores *omni exceptione maiores* æſtimandi aut cognoſcendi regula. Et quæ tandem recta aut ſincera erit, a qua nullum ſit deceptionis periculum? Vereor, ne nulla mere humana: mihi quidem ſub nullam hæc cadere poſſe videntur.

§. VII. Conaris tu quidem eam Corſinum, nosque edocere; ſed ita, ut quisque jure cum ſene illo Terentiano Phorm. 2. 4. queri queat;

Incertior ſum multo, quam dudum.

Adeo deſcriptio tua Auctoris *omni exceptione majoris* prava eſt, abnormis, & impedita. Nam quis amabo hic illius eſt character §. 47. *Si eius opinio non ſit contra principium aliquod certum, nec levi nec tenui nitatur fundamento?*

— — — Amphora cæpit.
Inſtitui, currente rota cur urceus exit?

Hor. Art. Poet.

Ut propoſitum tuum conſtaret, Virum *omni exceptione maiorem* definire nobis debebas: tu contra ad definiendam opinionem *probabilem* divertis. Certa indicia afferre oportebat, quibus Auctor vere *pius & doctus* agnoſci poſſet, cuius ſcilicet auctoritate opinio aliqua *probabilis* efficeretur, id quod Corſinus poſtulabat; tu vero ex opinione *probabili* ducere nos vis in cognitionem talis Auctoris. Hoc eſt Græcorum ὕστερον πρότερον. Et tamen tam es confidens, tamque mire in ea deſcriptione tibi places, ut ſubinde §. 48. propoſi-

ta iterum ex Corſini nomine eadem de Viro *pio & docto* quæſtione, eum lectoremque ad hunc §. 47. locum ableges, tamquam ibi clare explicatum, quod tam ſollicite requirit, ſit inventurus. Quantos enimvero Virorum *omni exceptione maiorum* litterarius Orbis habiturus eſſet greges, ſi judicio tuo ea res ſtaret? tot nempe quot Caſuiſtas? cum nemo certe vel rudiſſimus inter eos ſit, qui non aliquando ſaltem opiniones quaſpiam tradiderit, *quæ cum principio aliquo certo minime pugnarent, nec levi aut tenui fundamento niterentur.*

§. VIII. Neque felicius Virum *omni exceptione majorem* exprimis iis, quæ prioribus ſubiicis verbis, dum in eo requiris, *ut alias varia improbabilia, aut Patrum auctoritate, aut Eccleſiæ definitione, aut ceterorum Theologorum ſenſu reprobata non docuerit.* Sic enim novitius quiſque Theologus in laudis huius communionem veniat, neceſſe eſt. Nam finge hominem decurſo heri Theologiæ Moralis curriculo hodie ad ſcribendum aliquam *Summam Caſuum*, vel *Medullam* animum adiicere, Is quum alias nihil *improbabile, aut Patrum auctoritate, aut Eccleſiæ definitione, aut ceterorum Theologorum ſenſu reprobatum* docuerit, eo quod nunc primum docere aliquid in ea commentatione incipiat, continuo *Auctor omni exceptione maior* evadet, hocque nomine porro, ſi quas procuderit opiniones, *probabiles* efficiet; homo ſcilicet, qui quid *probabile* ſit, ipſe fortaſſe vix intel-

intelligit. Tamen talis erit ſecundum traditam a te doctrinam tutoque tu & quisque alius ſalutis ſuæ negotium in eius fidem deponetis. Quod quidem niſi tibi videatur abſurdum oportet omnia animo tuo concinna videri. Sed probe facis, quod huius tuæ tam abſonæ ſententiæ probationem in te minime recipias; ſed Navarri, Valentiæ, Azorii, Cardenæ & Laymanni ſuffragiis lectorem contentum eſſe velis. Ac mihi quidem ab re mea tantum otii non eſt, ut ſingulos, quid ſuper eo ſtatuant, excutiam; puto tamen melius te illos ſapuiſſe, nec Virum *omni exceptione maiorem* tam jeiune & perperam deſcripſiſſe. Certe Laymannus, quod ad rem hanc attingat, plus non habet Libr. I. tr. 1. cap. 5. §. 5. ubi eam materiam tractat, quam *auctoritatem gravem hoc loco cenſeri debere quæ eſt ſaltem unius Viri docti & probi, qui tamen talem doctrinam non inconſiderate ac temere, ſed poſt perſpecta rationum pondera, quæ in oppoſitum afferri poſſunt, amplexus eſt: quod quidem ab ipſo factum fuiſſe alii plerumque præſumere poſſunt, præſertim qui indocti ſunt:* ut non videam, qua fide eum tuæ deſcriptionis teſtem hic laudare potueris.

§. IX. Ceterum laude merita te non fraudabo, quod hac eadem Auctoris omni exceptione maioris deſcriptione, cui ſoli in delectu opinionum tuto fidere liceat, ingens a ſimplicibus offendiculi periculum amoveris, dum caviſti, ne, quod a multis utique factum hactenus,

nus, eos deinceps ceu *Viros omni exceptione maiores* ſuſpiciant, probabilitatemque opinionum auctoritate metiantur, qui alias varia *improbabilia, impia, ſcandaloſa, perniciosa, damnata, ſcripturæ & Conciliis adverſa,* qualia procul dubio propoſitionibus ab Alexandro VII. & Innocentio XI confixit continentur, docuerunt, eaque prærogativa dudum indignos ſe reddiderunt. Valeant igitur te duce & auſpice, præter recitatos jam ſupra, etiam Dianæ, Caramueles, Bonacinnæ, Sancii, Leandri, Billii, Tanneri, Reginaldi, Azorii, Coninkii, Becani, Fagundezii; Fernandezii, Hurtadi; cumque his Saæ, Trullenchii, Valentiæ, Baldelli, Salæ, Bardi, Amici, & illæ ob compendii præſertim artem Germanorum deliciæ Buſenbaumii; valeant inquam, ſenatuque ſine ſpe poſtliminii moveantur. Imo valeat potius tota illa opinionum præſertim laxiorum in re morali probabilitatem ex aliena fide pendendi ratio, nec ullus porro ſecuritatem ab ea ſibi audeat polliceri. *Ecce dat tibi ſecuritatem procurator. Quid tibi prodeſt, ſi paterfamilias non acceptet? Procurator ſum, ſervus ſum. Vis dicam tibi, vive quomodo vis, Dominus te non perdet, ſecuritatem tibi procurator dedit? Nihil valet ſecuritas procuratoris. Utinam tibi Dominus ſecuritatem daret, & ego te ſollicitum facerem! Domini enim ſecuritas valet, etiamſi nolim; mea vero nihil valet, ſi ille noluerit. Quare eſt autem ſecuritas. Fratres vel mea vel veſtra? niſi ut Domini juſſa intente, diligenterque audiamus, & promiſſa fideliter exſpectemus.* S. Aug. Homil. 12.

CAP.

* * * * * * * * * * *

CAPUT XXVIII.

Generales quædam animadverſiones circa reliquas conditiones ad opinionem probabilem requiri ſolitas afferuntur.

§. I.

Quando R. Pater Virum *omni exceptione maiorem* tam male deſcriptum nobis dediſti, videndum nunc an melius ipſam opinionem *probabilem* in ſe definiveris, quæ ut contendis, tuta aliis eſſe poſſit agendi regula.

§. II. Quinque autem conditiones ex *meliorum probabiliſmi patronorum* ſententia ad hoc requiris. Prima eſt, *ut opinio illa non ſit contra principium aliquod certum.* Altera, *ut ſcripturæ, Conciliis ſummorumve Pontificum decretis non adverſetur.* Tertia *ut ne ſit damnata.* Quarta *ut communi Theologorum ſenſu non ſit reiecta.* Quinta denique ac poſtrema, *ut non levi aut tenui nitatur fundamento.* His ſcilicet limitibus ſi opinionis alicuius probabilitas etſi *minor* circumſcribatur, nihil in ea per vos eſt periculi. Sed recte haberent omnia, modo illud etiam, quod certe momenti eſt maximi, & utramque hic paginam facit, non omitteretis, *ut ne minus probabili oppoſita opinio, quæ legi favet, operanti æque probabilis aut probabi-*

babilior videatur. Imo missis ceteris conditionibus hanc unam statuere poteras, quod reliquas omnes in se complectatur. Si enim opinio quæpiam manifesto *probabilior* sit, quam contraria, necesse est sane, *ut neque damnationem ullam subierit; neque pugnet cum principio aliquo certo vel solemni Ecclesiæ judicio; neque futili & inani ratiuncula nitatur,* Nisi vero ipsa *probabilior* sit, nil ei proderit, si ceteris conditionibus fuerit instructa. Id priusquam de singulis in particulari demonstrare aggrediar, generales quasdam animadversiones circa priores quatuor hoc loco præmittam, unde quidem lubrica earum fides satis poterit intelligi.

§. III. Ac *primum* quidem est, per eas conditiones (quod priori capite de RR. Casuistarum auctoritate agens jam innueram) opinionem quampiam ad summum effici *probabiliter* solum *probabilem*, adeoque ex *meliorum probabilissmi patronorum* sententia, integrum haud esse eam sequi, quandoquidem per eos *certo probabilis* requiratur. Et vero, ut eæ conditiones *certam* probabilitatem opinioni alicui singulari conciliare dici possent, necesse foret, ut nedum *certo* opinioni illi congruerent; sed etiam ut ipsæ in se, *certi*, minime vero *dubii* aut *controversi* essent probabilitatis characteres. Alterum horum deficiat, numquam opinio illa effici poterit *certo probabilis.* Nunc vero da mihi R. Pater

ex

ex tota Morali Theologia opinionem quampiam, ex probabiliſtarum ſententia *probabilem* quidem, ſed *minus* quam oppoſita, in qua recitatæ illæ conditiones (poſito interea, quod ſint *certa & indubitata* probabilitatis criteria) *certo*, nemineque reclamante concurrant. Difficile aliquam imo omnino nullam es reperturus. Statuam ego, ut exemplis te convincam, unam hanc ſatis celebrem, *quæ pœnitentem ab obligatione confitendi circumſtantias peccatum intra eamdem ſpeciem notabiliter aggravantes, immunem pronuntiat.* Hæc opinio libertati favet, *minusque* eſt *probabilis.* Si abnuis, per me licet quamcumque aliam tibi ſubſtituere. Putaſne vero illam omnibus hiſce conditionibus *certo* eſſe veſtitam, hoc eſt *certo* nec cum firmo aliquo principio, nec cum ſcriptura, conciliis, ſummorumve Pontificum decretis pugnare? Indignationem cordato cuique movebis, ſi aſſerueris. Nequit vero certo non pugnare, ubi controverſum eſt, num non pugnet, imo ubi pugnare compluribus Theologis videtur. Sunt enim, qui nulla ratione eam ad concordiam adducere poſſint cum illa a Paulo V. in Rituali Romano de Sacramento Pœnitentiæ fixa regula, qua ſacerdos pœnitentem interrogare jubetur, *ſi is numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum explicatu neceſſarias non expreſſerit.* Item cum altera illa Catechiſmi Concilii Tridentini Part. II. cap. 5. §. 41. qua cavetur, *non ſolum peccata gravia narrando explicare opor-*

oportere; verum etiam illa, quæ unumquodque peccatum circumstant & pravitatem valde augent vel minuunt. Sunt etiam, qui eam e diametro adversari velint illi principio certo, a Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 5. expresso, secundum quod peccata a pœnitentibus ita integre exponi debent, & Judicibus innotescere, *ut hi de gravitate criminum recte censere possint, & pœnam quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere.* Quidquid sententiæ contrariæ patroni afferant, ut isthæc diluant, aut infirment; minime iis satisfaciunt, nec opinionem illi suam demutant. Porro qui ita sentiunt, sunt Viri egregie *pii & docti*, nihilo adversariis inferiores; qui proinde (quod prioris capitis initio cautum volebam) ad efficiendam aliquam opinionem *probabilem* æque sint idonei. Si igitur *probabile* est per eos, illam pœnitentibus propitiam sententiam *cum principio certo, Pontificisque ac Concilii decreto reapse pugnare*, qui amabo *certum* esse poterit *non pugnare?*

§. IV. Et hæc quidem R. Pater ex uno capite dumtaxat arcessita est dubia, minimeque certa opinionis illius probabilitas; quod si & *alterum* caput examinemus, litemque de illis ipsis probabilitatis criteriis Probabilistis intendamus, idem prorsus efficietur. Nempe dicta hactenus habent locum, etiamsi exploratâ esse ponatur earum conditionum, quod ad genuinam probabilitatem sufficiant, *certitudo;*

at

at hoc anceps ipſum eſt & incompertum. Negatur enim ab omnibus ſeverioris ſententiæ aſſeclis, qui ad licitum opinionis *probabilis* libertati faventis uſum inſuper hanc omnium inſtar exigunt, *ut ea poſt diligens examen operanti manifeſto appareat probabilior, quam oppoſita favens legi.* Hæc ſententia itidem ob tot ſummorum Virorum, qui eam mordicus tuentur, auctoritatem eſt *probabilis:* igitur etiamſi *certo* conſtaret, nullam earum conditionum deſiderari in laudata ſupra, pœnitentum immunitati favente ſententia; adhuc tamen hæc *certo probabilis* & in praxi tuta dici haud poſſet, cum principia, ex quibus illius probabilitas derivatur, *incerta* ſint & *dubia*, probabiliterque etiam ad conflandam opinionis alicuius probabilitatem non ſufficiant. Hic Rhodus R. Pater, hic ſalta.

§. V. *Alterum* quod circa has quatuor conditiones animadverſione dignum occurrit eſt, quod eæ opinionum *vere probabilium* non ſint propriæ, ſed iis cum *tenuiter* etiam ſolum *probabilibus* communes. Æque enim hæ eſſe non debent *contra principium aliquod certum, aut damnatæ, aut cum ſcriptura, Conciliis, Pontificumve decretis pugnantes*, ſi modo *intra probabilitatis fines* eas conſiſtere oporteat; alioqui enim non jam probabiles, ſed improbabiles penitusque falſæ erunt. Nequit enim *certis principiis, ſcripturæ, aut Conciliis adverſari*, quod quomodocumque *probabile*

babile est; & *probabile* etiam *tenuiter* esse nequit, quod *adversatur*. Quod si igitur criteria hæc in opiniones *tenuiter* solum *probabiles* æque quadrant, quas tamen ob damnatam ab Innocentio XI. propositionem numero 3. Sectari nunc non licet; qui quæso eadem *vere probabilium* opinionum esse poterunt criteria, quas cuique liceat sectari? Loquor vero, ut præfatus sum, de prioribus *quatuor* conditionibus, dumtaxat; nam de *quinta*, quæ *vere probabilem* opinionem a tenuiter solum probabili discernere, adeoque proprius eius character esse videtur; seorsum Cap. XXX. tractabitur. In præsenti tamen hoc de *quatuor* illis concludo, ea inania prorsus esse, otioseque & ad merum fucum faciendum a Probabilistis conficta.

§. VI. *Tertium* huius loci est, quod eæ conditiones mere *negativæ* sint, manifestantes quidem, quid opinio probabilis *esse non debeat*, aut quid *non sit*; non vero *quid sit*, vel *esse debeat*. Ex eo autem, quod opinio *probabilis non est*, conficere velle *eam esse probabilem*, ad eorum dialecticorum leges, nodosque veternosistimos pertinet, qui quidvis ex quovis norunt concludere. Itaque nulla *probabilis* opinio debet aut potest esse *contra principium aliquod certum; nulla Scripturæ, Conciliis aut Pontificum decretis, vel Theologis omnibus in universum adversari*: conditiones hæ necessaria consecutione ex ipsa probabilitate

litate fluunt, ad eamque fupponuntur; at non idcirco neceſſario eam inferunt. Quanto rectius opinio *probabilis* definiretur ea eſſe, *quæ cum principio aliquo certo cognationem habere videtur, aut cum ſcriptura, Conciliis, Pontificumve decretis congruere; quam quæ his ſolum non adverſatur?* *Poſitiva* nempe, *realiſque* appellatio eſt, *eſſe probabile*, conformitatem quampiam cum regulis morum arguens, non vero nudam difformitatis *privationem*; itaque ex *realibus poſitivisque* principiis repeti debet, non ex meris negationibus. Verum quia *negans* principium generalius eſt, latiusque patet, *aliquid regulis morum non adverſari, quam cum iis conſentire*; hinc illud pro norma aſſumi debuit, ut plurium eſſet optio, unaque anxiis ingeniis proſpiceretur, ne fatiſcerent, ſi, *quid ſcripturæ, Conciliis, Patribus conforme ſit*, ſemper exquirere cogerentur.

§. VII. *Poſtremum* demum, quod animadverſionem meretur, eſt, quod ſi hæ conditiones ſtatuantur eſſe genuini opinionis *vere probabilis* characteres; eædem etiam, imo multo magis in opinione *probabiliore* locum ſibi vindicare debebunt. Itaque & hanc oportebit *non pugnare cum principio aliquo certo, neque Scripturæ, Conciliis, Summorumve Pontificum definitionibus refragari;* imo oportebit *probabilius eam his non adverſari* præ altera, quæ *probabiliter* ſolum *non adverſatur.* Eſt enim ſecundum te non-repugnantia hæc menſura

probabilitatis; unde quanto una opinio probabilitate excedit alteram, tanto minus videri debet *his regulis morum repugnare*. Vin' autem ſcire, quid hinc conſequatur? illud nempe, quo nihil odioſius accidere debet Probabiliſtis, oportere opinionem *minus probabilem*, *probabilius illis morum principiis adverſari*, etiamſi, *probabile* ſit *non adverſari*. Quidquid enim ex majori probabilitate in opinionem *probabiliorem* transfunditur, idem ab oppoſita, quæ *minus probabilis* eſt ſubmovetur, & plus de contrario ei accedit: quo modo de opptimo genere Orat. Cap. 1. dixit Cicero, *optimo diſſimillimum eſſe deterrimum*. Unde ſi *probabiliorem* opinionem oportet *probabilius certo alicui principio*, *vel ſcripturæ*, *Conciliisque non adverſari*; neceſſe plane erit eam, quæ *minus probabilis* eſt, *probabilius his adverſari*. Atque hinc iterum ſe prodit aperta conditionum illarum futilitas. Ludicre enim omnino ad opinionem *minus probabilem*, quam impune cuique amplecti liceat, requiritur; *ut principio alicui certo*, *ſcripturæ*, *Conciliorumve decretis non adverſetur*, cum quævis hoc ipſo, quod *minus probabilis* ſit, *probabilius adverſetur*. Patet hinc etiam eiusmodi commentis litem non dirimi, ſed magis involvi; nec imprudentiæ notam a Probabiliſtis abſtergi, ſed retegi. Excordis enim nonniſi hominis eſt, pertinaciter hærere iis, quæ deteriora ſunt. Nec illa ad omne facinus alioqui promptiſſima mulier apud Ovidium Libr. VII. Metamorph.

fab. 1.

fab. 1. laudem hinc prudentiæ quæſivit ullam, ſed ultro veſaniam ſuam faſſa eſt, etſi in neſcio quam vim culpam contulerit, quod *videns meliora, probansque, deteriora* nihilominus *ſit ſecuta.* Sed jam conditiones ſingulas momentis propriis expendamus.

Caput XXIX.

Quatuor priores conditiones opinionis probabilis ſingillatim examinantur.

§. I.

Prima earum, ut vidimus, eſt, *ut ne opinio eiusmodi ſit contra principium aliquod certum* Veriſſimum dictum, ſed

Omnibus & lippis notum & tonſoribus;

nec ac ullo *pejore* etiam *probabilismi patrono*, ut puto negatum. Quod ſi enim opinio *certo alicui principio repugnet*, non jam *probabilis*, ſed prorſus *falſa* eſt, quum *vero ac certo* principio non poſſit repugnare niſi *falſum*; & niſi *falſum* ſit quod repugnat, principium *verum ac certum* eſſe haud poſſit. Quorſum igitur tanto conatu excogitata, ſtrepituque jactata hæc a Probabiliſtis conditio? an ita paratragœdiare neceſſe erat, quod nos docuiſſent, opinionem *probabilem falſam* eſſe haud debere?

§. II. Deinde non id ſibi hac conditione volunt Probabiliſtæ, ut *probabilis* opinio principio alicui *certo* revera adverſari non debeat; ſed ſolum ut videatur non adverſari. Componi enim poſſunt hæc duo: aliquid in ſe omnino principio *certo* adverſari, adeoque *falſum* eſſe; & nihilominus operanti eſſe *probabile*, ſi is repugnantiam illam falſitatemque ſatis non exploret. Iam vero ut opinio aliqua videatur cuipiam, cum *certo* principio non pugnare, quot non Probabiliſtis ſuppeditant viæ? quando & artem invenerunt id efficiendi, etiamſi cui revera pugnare videatur. Præſto enim ſemper eſt trepidis ingeniis mirificum illud remedii genus, *reflexum judicium quod aliis Viris doctis & piis viſum ſit non pugnare*. Eorum dumtaxat hic deploranda conditio, quibus hebetior obtigit memoria, quam ut in recenſendis variarum opinionum auctoribus illius fidem poſſint appellare. Sed ſi ita eſt, cur par bonæ cauſæ ratio non habeatur? cur opinio eadem nequeat etiam effici *improbabilis* per aliud *reflexum judicium*, quod nempe aliis æque piis & doctis ita ſit perſvaſum? Quid deinde, ſi *probabiliter* quidem eiusmodi opinio videatur cum principio *certo* non pugnare, *probabilius* vero videatur pugnare? hæc quippe opinionis *minus probabilis* eſt qualitas. Redibit iterum eadem, cui tamen amoliendæ omnia hæc excogitata ſunt, difficultas, qui fieri poſſit, ut homo alicuius conſilii, cui pectus ſapiat,

pru-

prudenter pro actionis norma id assumat, quod *probabilius falsum* esse existimat, quam *verum*; *vetitum* quam *illicitum*?

§. III. Non meliōris farinæ est *altera* hanc in rem a te assignata conditio, quæ exigit, *ne opinio eiusmodi scripturæ, Conciliis, Pontificumve decretis refragetur*. Nam præterquam quod ut mox dictum, hic non sit character proprius opinionis *probabilis*, sed eius qua aperte *falsa* non est, insuper id cum priore conditione, habet commune, quod eum idem aliis solum verbis dicat, difficultatem non dissolvat. Cum enim Scriptura, Conciliorum Canones, & Pontificum Decreta sint illa principia, ad quæ oporteat Theologum quemque opiniones suas exigere; unum atque idem est opinionem his non adversari, ac cum principio aliquo *certo* non pugnare. Et sicut unaquæque *minus probabilis* opinio insita sibi vi *probabilius* cum principio aliquo *certo* pugnat; ita necesse est eamdem vel scripturæ, vel Conciliorum Canonibus, aliisve Ecclesiasticis decretis *probabilius* adversari: sicque cum in circulum sermo rotatus cucurrerit, deprehendetur, id hic ceu conditionem actionis *licitæ* exigi, de quo controversia est, an vel qua ratione actionem *licitam* reddere possit; utrum nempe integrum cuique sit secundum eam opinionem agere, quam *probabilius* putat scripturæ, Conciliis vel Patribus adversari, etiamsi *probabile* ei videatur non adversari?

§. IV. Accedit, quod ubi quis opinionem aliquam ceu *probabilem* tueri in animum ſemel induxerit, amplum ſemper ei patebit oſtium, quæſtuoſis ſuis probabilitatibus ſcripturam aut Concilia in rem ſuam interpretandi, detorquendi, incurvandi, donec opinio ſine offenſionis periculo transeat. Detexit labem huic ſimilem jam olim in quibusdam Auguſtinus Lib. III. de Doctrina Chriſt. cap. 10. *Quoniam* inquit, *proclive eſt humanum genus, non ex momentis ipſius libidinis, ſed potius ſuæ conſvetudinis æſtimare peccata, fit plerumque, ut quisque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quæ ſuæ regionis & temporis homines vituperare atque damnare conſveverunt; & ea tantum probanda atque laudanda, quæ conſuetudo eorum, cum quibus vivit, admittit: eoque contingit, ut ſi quid ſcriptura vel præceperit, quod abhorret a conſvetudine audientium, vel quod non abhorret, culpaverit, ſi animum eorum jam verbi vinxit auctoritas, figuratam locutionem putent.*

§. V. Superiore vero ſæculo, cum Probabiliſtarum natio veluti denſiſſima nubes locuſtarum quaquaverſum ſe effudiſſet, eamdem hanc eorum in eludendis Conciliorum, Pontificumque decretis artem deprehendit laudatus nobis ſupra P. Julius Mercorus præfat. in Baſim Theol. Moral. cuius verba itidem hic adſcribere placet. *Si quando*, inquit, *pro morum reformatione prodire contingat novam Conſtitutionem Eccleſiæ, ſtatim Theologi nimis benigni cavillis, limitationibus, interpretationibus, diſtinctionibusque illam adoriuntur,*

cum

cum quibus alii plurimi ſtatim dilabuntur incauti, timentes deſeri in ſuis conſiliis, ſi aliquanto ſeveriores ſe oſtendant; ſubindeque poſt paucos menſes lex illa inermis, ſauciaque relinquitur. - - Hinc merito hæc opinandi libertas ſemper fuit Eccleſiæ ſuſpecta; ſiquidem pia mater ſuorum decretorum indemnitati conſulens, in iisdem interpretationes quascumque edi ſæpius inhibuit, ſicuti teſtatus eſt Quis IV. in Bulla Confirmationis Concilii Tridentini. Ad evitandam, inquit, perverſionem & confuſionem, quæ oriri poſſet, ſi unicuique liceret, prout ei liberet in Decreta Concilii commentaria & interpretationes ſuas edere; Apoſtolica auctoritate inhibemus omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cuiuscumque ſint ordinis, conditionis & gradus, quam Laicis quocumque honore ac poteſtate præditis; Prælatis quidem ſub interdicti ingreſſus Eccleſiæ, aliis vero quicumque fuerint ſub excommunicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis ſine auctoritate noſtra audeat ullos commentarios, gloſſas, annotationes, ſcholia, ullumve omnino interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis quocumque modo edere &c. Numque ſummorum Pontificum poſtmodum eſt cura non levis, cum propterea Prædeceſſorum Conſtitutiones, aliasve Eccleſiaſticas Sanctiones pro fidelium regimine, a gloſſis tot interpretum penitus enervatas, renovare coguntur, ab importuniſque opinionibus eas novis clauſulis vindicare, quibus apponendis inſerendisque etiam Datariis ipſis, ſeu aliis quibus incumbit, quamvis ſapientiſſimis nunc haud facile negotium faceſſitur. Teſtis ſit Conſtitutio de datis & Promiſſis pro juſtitia vel gratia apud ſedem Apoſtolicam obtinenda, a Bonifacio VIII. olim edita, innovata a Gregorio XIII, &

ab Alexandro VII. noviſſime confirmata, atque contra interpretes plus quam centum clauſulis, tum declarativis tum extenſivis communita: huius namque diligentiæ in eadem Bulla hæc una obſervatur aſſignata neceſſitas.

§. VI. Non foret mihi difficile hos Probabiliſtarum ingenioſos, Conciliorum Canones & Pontificum Decreta interpretandi modos ſingillatim hic loci recenſere, pluribusque exemplis illuſtrare, niſi id agendo oleum & operam me perditurum præviderem. Nam Probabiliſtæ in hoc quoque ſequacium ſuorum infirmitati conſuluerunt, ne de conciliandis opinionibus ſuis, cum Decretis aut Canonibus Eccleſiaſticis nimium cogantur eſſe ſolliciti; ut ſi forte ea ad rationes ſuas accommodare nequeant, nihilominus per *reflexum judicium* ad quietem ſe componant, illud dumtaxat reputando: *Quod tibi videtur inſolubile, alius ſolvere poterit; quod tu cum ſcriptura & Patribus conciliare non potes, conciliabit alius*, ut legere eſt apud P. Gonetum Diſſert. de Opin. prob. art. 1. §. 1. Et diſerte tradit P. Georgius de Rhodes Diſp. 2. de Actibus hum. quæſt. 2. ſect. 3. inquiens: *Imprudenter procederet, qui aliorum opiniones communiter receptas, vel etiam novas ideo tantum judicaret improbabiles, quia rationes contra eas aliquas haberet, quas ipſe non poſſet ſolvere, neque putaret ab aliis poſſe ſolvi; quia perſuadere ſibi quiſque prudens debet, multas ſæpe rationes nobis apparere inſolubiles, quas facile alii ſolvunt.* Optionem tibi relinquo

R. Pater

R. Pater, melioribus, an peioribus probabiliſmi patronis hunc Auctorem annumerare malis.

§. VII. Sequitur *tertia* conditio, per quam neceſſe eſt, *ut opinio probabilis nullam ſubierit damnationem.* Non inſtaurabo hic, quæ contra eam æque ac contra duas priores obiici poſſunt, ne tibi faſtidii delicatiſſimo homini etiam hic aliquam creem moleſtiam. Illud tantum moneo, hunc ipſum opinionis probabilis characterem, ne cui fraudi eſſe poſſit, conceptis verbis reiectum eſſe ab Alexandro VII. in propoſitione 27. damnata, quæ ita habebat: *Si liber ſit alicuius junioris & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dum non conſtat reiectam eſſe a Sede Apoſtolica tamquam improbabilem.* In cuius quidem propoſitionis doctrina hoc obſervatu dignum occurrit, quod cum illius Auctor ad removendam ab opinione aliqua probabilitatem nominatim requiſierit, ut *ceu improbabilis* per Sedem Apoſtolicam fuerit reiecta, cavillandi materiam reliquerit poſteris, ſi qua fortaſſe non tamquam *improbabilis*, ſed tamquam *ſcandaloſa* ſolum damnaretur: per id enim probabilitati eius nihil detractum iri, quominus ad praxim ceſſante ſcandali periculo deduci poſſet. Imo huius ipſius propoſitioni indemnitati proviſum eſt, eo quod ceu *ſcandaloſa* ſolum ab Alexandro VII, ut aliæ omnes, ſit proſcripta. Sed miſſis his tricis, gerrisque ingenuo cuique hinc certum fieri debet,

debet, conditionem illam ad adſtruendam opinionis alicuius probabilitatem, licitumque uſum nihil prorſus conferre. Et hinc, cum plures propoſitiones, quam poſtea damnationem revera ſubierint, ſæculo ſuperiori ad Sedem Apoſtolicam tamquam ſtigmate dignæ fuiſſent delatæ; ne hoc ipſum, quod tacitæ in Decreto relictæ ſint, ſimplicibus errandi occaſio foret, callidis vero ingeniis anſa daretur indidem probabilitatem earum arceſſendi, Sapientiſſimus Pontifex Innocentius XI. in Decreto ſuo, quo 65 propoſitiones confixit, expreſſe cavit, *ſe haud intendere per hoc Decretum alias propoſitiones in ipſo non expreſſas, & ſibi quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas vel exhibendas ullatenus approbare.*

§. VIII. Verum non melius conditionis huius perverſitas deprehendi poteſt, quam ſi ad propoſitionum damnatarum ſtatum, quo ante fulmen Vaticanum fuerunt, animos reflectamus. Fuerunt enimvero hæ jam in anteceſſum, prius quam damnarentur, *improbabiles*, utpote judicio etiam tuo *impiæ*, *ſcandaloſæ*, *perniciosæ*, *Scripturæ & Conciliis adverſæ*; neque tales primum Decreto Pontificio ſunt effectæ. Unde qui e recentioribus earum improbabilitatem palam facere conantur, non ad damnationem provocant, ſed ad Scripturam, Concilia, Patres, aliasque morum regulas, quibuscum pugnare eas oſtendunt, hincque merito ſuo eas proſcriptas fuiſſe concludunt.

Quodſi

Quodſi ergo ſecuta ſubinde damnatio improbabilitatem eis primo non conflavit nec probabilitatem conflare poterat non-damnatio. Atqui ſi non his, neque aliis, niſi aliunde explorata earum probabilitas habeatur. Unde tota conditionis huius utilitas eo demum redit, ut ne quis poſthac opiniones jam *damnatas* docere alios queat, aut ad praxim deducere; non vero ne procudere poſſit alias *damnabiles*, aut *damnandas*. Illud vero prius dudum ante noverant omnes, nec opus erat tam præclaro invento apud imperitos ſe jactare.

§. IX. *Quarta* conditio eſt, *ut ne opinio probabilis ſit contra communem ceterorum Theologorum ſenſum* Quomodo doctrina hæc illi congruat, qua per Probabiliſtas ad *licitum* opinionis *probabilis* uſum reddendum, ſufficit vel *unius* Viri *pii* ac *docti*, aut omni exceptione maioris auctoritas, ſatis non aſſequor. Si enim ab *uno* illo non diſſentiunt ceteri omnes, & ſunt etiam eorum aliqui, qui ei conſentiant, auctor ille jam non erit *unus* & *ſolus*; ſi vero ceteri omnes diſſentiunt, ſtando præſenti conditione opinio iam non erit *probabilis*; ſaltem non ſic, ut eam ſecure amplecti liceat, eique in agendo ſe conformare. Concilia hæc nobis R. Pater, mutuoque haud pugnare luce meridiana clarius oſtende, qui in detegendis Corſini contradictionibus tam oculatus vis videri.

Si curtatus in æquali tonſore capillos
Occurrit, rides? ſi forte ſubucula pexæ

Trita

Trita ſubeſt tunicæ, vel ſi toga diſſidet impar,
Rides? quid tua cum pugnat ſententia ſecum?
Hor. I. Epiſt. 1.

§. X. Dices forte, intelligenda hæc eſſe de opinione quapiam *nova*, quæ ab aliis Theologis nondum ſit examinata, quæque ſi ab uno aliquo *omni exceptione maiori* Viro doceatur, cum tunc ceterorum Theologorum doctrinæ adverſatura non ſit, *probabilis* efficiatur; minime vero ſi ab aliis jam examinata album calculum haud tulerit. Atqui non ita loqui amant quicumque, *meliores* etiam, *probabiliſmi patroni*, qui etiam reſpectu opinionis ab aliis jam tractatæ, adeoque receptæ, *unius* Viri *pii* & *docti* auctoritatem communi ceterorum opponere ſolent, quantum attinet ad conciliandam contrariæ opinioni probabilitatem. Sed accipio hanc tibi accommodam, qua in gratiam tecum ipſe redire poſſit interpretationem, nam meliorem aliunde daturus non es; ſed hinc conficio; opinionem *licitum* ſententiæ *minus probabilis minusque tutæ* uſum adſtruentem, dum excogitata eſt primum, fuiſſe omnino *improbabilem*, nec proinde a quoquam adoptari potuiſſe. Nam quodſi neceſſaria per te opinionis *vere probabilis* eſt conditio, ut ceteros Theologos non habeat adverſarios, non apparet profecto ulla conciliandæ probabilitatis ei opinioni ratio, quæ in ortu ſuo nedum ignota fuit anterioribus omnibus Theologis, ſed ab iis uno ore eſt exploſa, ut alibi

minime

minime ſuſpectis Probabiliſtarum teſtimoniis fecimus manifeſtum; ridendaque plane eſt opera P. Gabrielis Danielis ſocietatis tuæ Theologi, qui Dialogo 4. ſui Cleandri & Eudoxi illius uſum nedum in macellis Antiochenis tempore Juliani Apoſtatæ apud Theodoretum, ſed & in militari conſilio Judeorum tempore Antiochi in libris Machabaeorum detegere eſt conatus. Neque ad rem facit, quod eam Probabiliſtarum opinionem plures poſtea Caſuiſtæ turmatim ſint amplexi. Nam ſi hæc foret conflandæ ei probabilitatis certa ratio, nihil non *improbabile* poſſet reddi *probabile*, exſpectandumque tantum tempus foret, dum plures ſectatores opinio aliqua nanciſceretur. Ars certe plane mirifica cudendi opiniones *probabiles*, eo ipſo, quod alii eas, dum adhuc *improbabiles* ſunt, amplectantur.

Caput XXX.

Quinta & poſtrema opinionis probabilis conditio ad examen vocatur, quæ eſt ratio gravis.

§. I.

Huic conditioni peculiare caput aſſignandum erat, quod maioris quam aliæ ponderis eſſe videatur, opinionisque *probabilis* propria, quæ eam tum a *tenuiter* ſolum *probabili*, ut prætenditur, tum a manifeſte *non falſa* dumtaxat diſcernat; cum ceteræ etiam his conveniant.

§. II.

§. II. Et illud quidem facile cuique cogitare ſubit, eo conſilio potiſſimum hanc conditionem RR. Probabiliſtas tantopere exaggerare, ut oſtendant profiteri ſe doctrinam directo oppoſitam propoſitioni 3. ab Innocentio XI confixæ, quæ *prudenter nos agere* pronuntiabat, *quoties probabilitate etiam tenui ſolum inducti quidpiam ageremus.* Verum num ita propoſitum ſuum aſſequantur, ipſique ſibi omnino ſatisfaciant, erit qui dubitet. Neque enim; quod tu tamen pro præiudicato habes, ſatis exploratum eſt, an *tenuis probabilitatis* nomine ea veniat, quæ motivo ſolum *levi* nititur, & an propoſitionis damnatæ auctores eo nil aliud, quam hoc intellexerint? Certe quotquot *opinionem probabilem* definierunt, perpetuo conſenſu, quantum quidem ſcio, faſſi ſunt, rationem non *ſpecioſam ac levem*, ſed *juſtam gravemque* ad eam requiri; unde ſi, dum pro regula morum *opinionem* etiam *tenuiter* ſolum *probabilem* ſufficere aſſeruerunt, illam eo nomine deſignaſſent, quæ *levi* quocumque fundamento niteretur, pugnantia plane docuiſſent, quodque ille ait, *vox & ratio eorum longe diſcrepaſſet.* Exemplo ſit Tamburinus, apud quem Libr. I. in Decalogum cap. 3. §. 3. ipſiſſima *damnatæ* illius propoſitionis 3. verba legas; & nihilominus communem is opinionis probabilis definitionem illic admittit, quod *ſit aſſenſus intellectus de aliqua re, qui nitatur rationi vel auctoritati alicuius momenti, quamvis adſit nonnulla partis oppoſitæ formido.* Unde

de quidem manifeste efficitur, hunc Auctorem aliam plane significationem opinioni *tenuiter* solum *probabili*, *quæ tamen a probabilitatis finibus minime exeat*, subiecisse, quam opinionis, *levi* dumtaxat & *tenui* ratione nixæ; nec proinde tantum sibi plaudere posse RR. Probabilistas, quasi huius conditionis interventu a *damnatæ* propositionis doctrina se præstent immunes.

§. III. Verum ut ut sit de hoc, quando etiam Corsinus ipse opinionem *tenuiter probabilem* ab ea, quæ omni *gravi* ratione destituitur, non videtur seiunxisse, dicam idcirco adversariis non scribam; contendo tamen eos illo suo commento de *ratione gravi* nihil magnopere causæ suæ prospexisse. Nam cur amabo opinionem *tenuiter* solum *probabilem* amplecti per eos non liceat? *quod*, inquis tu §. 47. *tenuis probabilitas habeat motivum ita leve, ut imprudenter censeatur agere, qui illi assentitur.* At vereor ne hoc ipsum motivum tuum ita *leve* sit, ut imprudenter tu illud videaris statuisse. Nam nego id ego, quod tu sumis aioque in leges prudentiæ minime etiam aliquando peccaturum eum, qui motivo *levi* assenserit, aut eo inductus quidpiam egerit, si nempe aliud *gravius* ex adverso non succurrerit; sed tunc solum imprudentiæ notam subiturum, ubi posthabita ratione *gravi* quæ opinionem oppositam firmat, ipse *levi* ac *tenui* opinionis prioris acquieverit. Unde liquet opinionem

tenuiter ſolum *probabilem* non eſſe *abſolute* ineptam aut fallacem agendi regulam, ſed *reſpective* ſolum, ut loquuntur Scholaſtici, & in concurſu opinionis contrariæ plus quam *tenuiter probabilis*. Idem igitur de opinione *probabili ſecundum ſe*, quomodocumque demum deſcribatur, ſtatuendum, nec eam ſcilicet poſſe eſſe legitimam *abſolute* actionum humanarum normam (hæc quippe eſt ſola veritas cognita ut talis) ſed *reſpective* dumtaxat, ubi nihil ex adverſo ſe offert, quod *maiore probabilitate* niti videatur. Qua enim ratione *probabilitas tenuis* comparatur ad *ſolidam* & *juſtam*, eadem hæc, ſed *minor* comparatur ad *maiorem*. Omnia hic *reſpectiva* ſunt, nihil *abſolutum;* inter quæ hæc illuſtris differentia eſt, ut docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 6. art. 6. ad 2. *quod ea, quæ abſolute dicuntur, quolibet addito remanent talia, ſicut calidum & album. Sed ea quæ relative dicuntur, variantur ſecundum comparationem ad diverſa. Quod enim eſt magnum comparatum huic, eſt parvum comparatum alteri.*

§. IV. Verum quod hanc conditionem valde dubiam, ac pæne inutilem reddit, eſt lubrica admodum rationes *graves* a *levibus*, æque ac Auctores, ex ſenſu Probabiliſtarum diſcernendi ratio. Non enim ad meram libidinem iterum, aut inanes eloquentiæ ſe jactantis phaleras referendum eſt, quod Corſinus tam audacter a Vobis exquirit, *quaſnam rationes graves appelletis?* Occurriſti quidem & huic tu

inter-

interrogationi §.48. easque *graves* vocari ſtatuiſti, *quæ non tantum in ſe, ſed etiam comparative ad rationes partis oppoſitæ graves ſint ſufficientesque, ut intellectum hominis docti & prudentis inclinent ad aſſenſum.* Sed ignoſce, nec idioma hoc tuum nec rem capio R. Pater. *Comparative* aut *reſpective grave* in communi Scholaſticorum lingua dicitur id, quod non modo in ſe *grave* eſt, ſed etiam eo ad quod comparatur *gravius*; ſicut viciſſim *comparative leve*, quod tametſi in ſe expers *gravitatis* non ſit, collatum tamen cum altero, *minus* eſt *grave.* Sic Phyſici loqui amant, dum de *gravitate* corporum aut *æquilibrio* liquorum verba faciunt. Itaque ſi uſu, qui certe norma loquendi eſt, huius formulæ vis æſtimanda ſit, rationes *comparative graves* eſſe debebunt eæ, quæ collatæ cum rationibus opinionis oppoſitæ, momento ſuo eas vincunt. Et has lubens concedo fore idoneas ac ſufficientes, *quibus intellectus hominis docti ac prudentis aſſentiatur;* ſed nego opinionem rationibus eiusmodi fultam *minus probabilem* manſuram: imo *probabilior* evaſura eſt, quam contraria, utpote quæ rationibus *minus gravibus* fulta erit, conſequeturque id, quod etiam ſeveriores rei moralis tractatores docent, licere nempe amplecti opinionem *probabiliorem*, etſi *minus tutam*, ſi oppoſita *tutior* quidem, ſed *minus* ſit *probabilis.* Hoccine ergo R. Pater deſcriptione tua, *rationis comparative gravis* tibi volebas? utinam! noſter enim eſſes,

tótumque inter te ac Corſinum diſſidium brevi in tranquillum conferretur.

§. V. Sed ſcio dum hæc chartæ committeres, eam mentem tibi haud fuiſſe. *Rationes comparative graves* appellabas, quæ *leves* in ſe minime eſſent, etſi quæ ex adverſo ſtarent, prægravarent. At lubet hic quærere ex te, quo criterio aut indicio *graves* a *levibus* ſint diſcernendæ? Non quaſi difficilis nimium operoſaque ſit harum inter ſe diſtinctio, dum invicem comparantur; ſed difficultas diſtinctionis tota ſita eſt in caſu, dum concurrunt cum *gravioribus*. Nam cum rationes *graviores* momento ſuo ſuperare debeant & *leves*, & *minus graves*; neceſſaria eſt norma aliqua, ad quam examinare utrasque queam, ut magnusne exceſſus ſit, an parvus dignoſcatur, & quæ opinio ad *probabiliorem* comparata, *tenuiter* ſolum, quæ autem *vere* etſi *minus probabilis* dicenda ſit, accurate exploretur. At quænam hæc norma erit minime fallax & ſuſpecta?

§. VI. Equidem & iſtam tu difficultatem præſenſiſti, *intellectumque hominis docti ac prudentis* ſtatuiſti, *qui rationibus gravibus ad aſſenſum inclinatur, non item tenuibus ac levibus, quibus ipſis non niſi imprudenter aſſentitur.* At hoc eſt pro comperto & confeſſo ſumere, quod maxime inter Probabiliſtas & adverſarios eſt controverſum, imo controverſiæ totius apex; ad hæc ab omni veritatis ſpecie longiſſime remo-

motum, cui tota Probabiliſtarum natio ipſo integro ſesqui ſæculo ne fucum quidem ullum adhuc induxit. Neque enim intellectus prudens magis rationibus *gravibus* quam *levibus* aſſenſum præſtare poteſt, ubi in contrarium ſuccurrunt *graviores*; nec prudens erit ſi præſtet. *Ad prudentiam pertinet præferre maius bonum, minus bono, ergo deſiſtere a meliori pertinet ad imprudentiam*, verba ſunt S. Thomæ 2. 2. quæſt. 53. art. 5. in ⊙. *Bonum* autem intellectus ſecundum Philoſophum eſt *verum*, ergo *ad prudentiam* pertinet præferre *magis verum*, ſeu *vero ſimilius*, *minus vero*; deſiſtere vero a *magis vero* pertinet ad *imprudentiam*.

§. VII. Quodſi vero criterium hoc rationes graves dignoſcendi dicas eſſe aſſenſum intellectus iis præſtitum, dum ex in ſe ſpectantur, ſine comparatione ſcilicet ad graviores rationes oppoſitæ opinionis, fruſtra erit pariter, cum ut dictum, intellectus prudenter etiam aſſentiri poſſit rationibus *levibus*, ubi in contrarium nullæ *graves* ſuccurrunt. Eſt enim is veluti lanx in libra, quæ minimo quoque pondere deprimitur, dum alteri nullum eſt impoſitum; contra vero ſurſum eluctatur, quamprimum maiori pondere impoſito, altera fit propenſior. En igitur quo recidat hæc ipſa etiam tantopere Probabiliſtis prædicata, & alioqui ſpecioſa ſatis, *rationis gravis* conditio!

— — — Ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Hor. in Art.

§. VIII. Nunc ut omnia simul complectar, diiudicandum ipsi tibi R. Pater relinquo, quantum id sit, quo *meliores probabilismi patroni* causam eius reddiderunt meliorem, quod praeclaras istas conditiones nobis procuderint? dignane sit, cui credatur, illa tam magnifica eorum jactatio: *his conditionibus veluti frænis coërcitam esse veterem opinandi licentiam, quas si præ oculis omnes Probabilistæ habuissent, numquam ad tam absurdas sententias, cuiusmodi postea sunt damnatæ, essent delapsi.* Certe mihi non videtur remedium hoc esse tantum, ut periculosas istiusmodi luxuriantium ingeniorum evagationes, imo aberrationes in posterum queat inhibere. Non vacat argumenta cum contra omnes in universum, tum contra singulos jam adducta, hic integrare; unico minime profundæ indaginis utar, quo quam inanis ac pæne nulla earum sit cautio, efficiam. Factum est, ergo fieri potest. Conditiones illæ etiam postquam excogitatæ sunt, non offecerunt, ne corruptæ doctrinæ propagines a *probabilismo* pullularent, ergo nec deinceps officient, nisi securis ad radicem ponatur, eaque sunditus exscindatur. *Damnatarum* propositionum Auctores plerique etiam ante Anlexandri VII. tempora, qui primus cauterem iis adegit, omnes quinque recensitas conditiones ad opinionem *probabilem, licitumque* illius usum requisiverunt. De *tribus* prioribus nequit dubitari. Nemo enim tam fatuus & amens fuit, qui *probabilem* opinionem eam diceret, quam *principio alicui cer-*

certo, *Scripturæ*, *Conciliis*, *ſummorumve Pontificum decretis adverſari* exploratum haberet, aut *damnatam* certo ſciret. *Quarta* neminem diſtinere poterat in excogitandis opinionibus novis, ab aliis nondum tractatis; quamvis eadem nominatim etiam a pluribus in cenſum reliquarum fuerit relata. *Quintam*, quod ſcio, omnes prorſus admiſerunt. Et nihilominus homines tot præſidiis muniti ac vallati ad plurimas *impias*, *ſcandaloſas*, *perniciosaſque* opiniones ſunt delapſi. Poſt Alexandri VII. tempora fatetur Gonzalez de Societatis ſuæ Doctoribus Probabiliſtis, *eos limites probabiliſmi*, *& quaſi pomœrium a non paucis recentioribus male amplificatum reſtrinxiſſe*, *intra certos terminos & cancellos coërcendo probabilitatis uſum.* Et tamen iidem quot ſimilis cum Alexandrinis farinæ propoſitiones interea non excuderunt, quas poſtea Innocentius XI. diris devovere eſt coactus? Sed nec hic labes ſtetit, etiam in poſterum, reſectis licet tot jam ſtolonibus non deſiit plures alios *probabiliſmus* protrudete, & adhuc protrudit, qui ſectrice manu egerent rurſus. Tantine ergo erat *ædificaſſe parietem*, *ſi eum liniſtis luto abſque paleis? Siquidem ecce cecidit paries! numquid non dicetur vobis*, *ubi eſt litura quam liniſtis.* Ezech. 13.

§. IX. Scio quid ad hæc dicturus ſis. Deceptos fuiſſe eos Auctores inquies, falſaque veri imagine deluſos; opiniones eas reapſe fuiſſe *Scripturæ*, *Conciliis &c. adverſas*; nullis ratio-

rationibus *gravibus*, ſed *tenuibus* ſolum ac *levibus* inſtructas; ipſis tamen aliter viſum. Homines erant, a quibus humani nihil alienum putandum. Nihil mitius equidem pro eorum defenſione afferri poteſt. Quis enim *Viris omni exceptione maioribus* eam calumniam ſtruat, ut certo judicio, deditaque opera eos a principiis certis, Scriptura, Conciliis, fixisque a SS. Patribus ſummisque Pontificibus decretis deflexiſſe, hisque manifeſte repugnantia chartis illinere voluiſſe aſſerat? At quod ego hinc concludi perſpicue puto, illud eſt, depredicatas nimirum tantopere conditiones, non eſſe iſtiusmodi, quæ repaguli inſtar vagam illam opinandi licentiam cohibeant, nervosque illi omnes eripiant. Quodſi tot ac tanti Viri, cautionibus illis adhibitis nihilominus deerrarunt recto, & fœdiſſime ſunt lapſi, poterunt ſimiliter etiam deinceps labi alii, & eodem deceptionis pallio eorum lapſus involvi, quin reipublicæ Chriſtianæ vulneribus remedium aliquod hinc afferatur.

§. X. Fateor quidem, nec etiam per ſententiæ *probabilioris* uſum exerrationibus hiſce ingeniorum omnino caveri, cum fieri poſſit, ut opiniones quæ manifeſte alicui videntur *probabiliores*, in ſe tamen *falſæ* ſint, aut Scripturæ, Conciliisve contraria. At præterquam quod id rarius contingat, cum difficilius ſit falſæ opinioni *maioris* probabilitatis fucum inducere, quam *minoris*; inſuper, quod præcipuum

puum hac in re eſt, hallucinatio eiusmodi ſi qua in amplectenda opinione *probabiliore* interveniat, plane venia digna eſt, errorque innocens. Cum enim per hominem ſemper non ſtet veritatem invenire, cumulate is muneris ſui partes obiiſſe cenſendus eſt, qui quid propius ad eam accedat, ſedulo inveſtigat; extraque noxiam eſt, ſi illud poſtea amplectatur, etiamſi falli contingat. At non æque impune abire debet temeritas ſua ei, qui aut quid veriſimilius ſit, inquirere negligit, aut id quod falſo quam vero ſimilius eſſe pervidet, conſectatur. Præclara hanc in rem exſtat apud Auguſtinum Libr. I. contra Academ. cap. 4. ſententia: *Quisquis minus inſtanter, quam oportet veritatem quærit, is ad finem hominis non pervenit. Quisquis autem tantum, quantum homo poteſt, ac debet, dat operam inveniendæ veritati, beatus eſt: totum enim facit, quod ut faciat ita natus eſt. Inventio autem ſi defuerit, id deerit, quod natura non dedit.* Quodſi quis ne his quidem acquieſcit, per me licet tutiora ei ſemper ſectari, aut certe ab his numquam diſcedere, niſi de veritate opinionis *vinus tutæ* ſit perſuaſus.

* * * * * * * * * * * * *

CAPUT XXXI.

Duobus Hoffmanni argumentis respondetur.

§. I.

Quæ §. 48. R. Pater Contra Corsinum congeris, superioribus capitibus passim a nobis sunt diluta, imo a te ipso §. 47. jam aliis verbis proposita. Unum tamen novum hic præstas, quod nempe argumentum quodpiam Corsini, ratione tibi sumas refellendum, sicque ut Comicus ait, *verbum verbo, par pari respondeas.* Novum inquam, nam plane nova hæc est in te responsionis figura, si cum aliis, quæ in eum §. infarcis, componatur. Illic enim dum Corsinum *urgentem, insistentem, clamantem, criminantem* inducis, eique respondere te præfers, perpetuo tui similis criminaris. Hic das, quod ex genio Scholæ saltem demorsos non nihil sapiat ungues. Non sæpius nimirum, quam semel in vita risit, Crassus. Verum si quod Corsino reponeres, firmius tibi occurrit nihil, poteras hoc etiam responsionis genere, sive aggressionis impune abstinere.

§. II. Prius tamen quam id evincam, Corsini argumentum, quod tu impugnare es aggressus, ratione est firmandum, cuius quidem ut opinor, facilis erit labor. Habet vero illud Cor-

Corſinus Cap. 10. num. 28. hiſque verbis effert: *Primo* inquit, *reponi poteſt, opinionem illam, quæ in ſe probabilis ſit, ubi cum altera magis probabili conferatur, velut probabilem concipi vel haberi non poſſe; ſed potius improbabilem fieri, ideoque illum qui relicta probabiliori minus probabilem amplectatur, neque probabiliter neque prudenter operari.* Id efficitur manifeſta concluſione rationis, quam ſuperiori capite ex S. Thoma attulimus, de his quæ *relative* dicuntur, & quorum ea eſt natura, ut ſecundum diverſos reſpectos conditionem ſuam æque ac denominationem mutent. Cum ergo non minus *probabilitas* opinionum ex eorum ſit numero, quam *gravitas* vel *magnitudo* corporum, recte conſequitur, quod ſicut corpus *minus grave*, *minusque magnum* in comparatione *gravioris vel maioris*, *leve* ſit ac *parvum*, ita opinio *minus probabilis* in comparatione *probabilioris* ſiat *improbabilis*.

§. III. Illuſtrior hæc doctrina efficietur, ſi modo æquivocatio & captioſa ambiguitas, cui hæc vox *probabilis* obnoxia eſt, detegatur, qua neglecta neſcio quas tenebras minus ſagacibus ingeniis videtur offundere. Itaque duplex eſt illius vocis ſignificatus; valet enim & idem quod *veroſimilis*, & idem quod *approbabilis*, ita ut *probabile* hoc poſteriore ſenſu ſit idem ac dignum, quod quis aſſenſu ſuo *probet*, aut ad praxim deducat. Utriusque huius ſententiæ exempla cum apud profanos, tum Eccleſiaſticos ſcriptores occurrunt. Priorem

tamen

tamen fere Academici ei voci ſubiecerunt; poſteriorem vero plerumque Patres & veteres Scholaſtici, imo & ſacer Eccleſiaſtici Auctor Cap. 42. *Eris eruditus in omnibus & probabilis in conſpectu omnium virorum.* Item Apoſtolus 2. Tim. II. *Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo.* Plura hanc in rem congerere neceſſe non eſt, quia alii affatim id præſtiterunt. Itaque dum hodierni rerum moralium Scriptores opinionem quampiam *minus probabilem* vocant, oppoſitam vero illi *probabiliorem*, ex Academicorum uſu loquuntur, & minus vero ſimilem, cum magis vero ſimili comparant. At vero dum quidam *minus probabilem* collatam cum *probabiliori* contendunt definire eſſe *probabilem*, ad ſignificationem veteribus ſcholaſticis uſitatam deſciſcunt, & non plus volunt, quam opinionem minus vero ſimilem, dum cum vero ſimiliore concurrit, prudenter approbari haud poſſe, nec pro regula aſſumi, quam quis in agendo ſequatur; non vero quod veriſimilitudinem ſuam & probabilitatem Academicam tunc amittat.

§. IV. Quamvis non diffitear fieri etiam interdum poſſe, ut eiusmodi opinio, quæ in ſe ſpectata quamdam ſimilitudinem veri præferre videtur, ex comparatione cum altera veriſimiliori, veriſimilis prorſus eſſe deſinat, cum nempe argumenta veri ſimilioris tam firma

ma sunt, ut contraria inania aut fallacia esse deprehendantur.

§. V. Sed Corsinus priore sensu, opinor, opinionem *minus probabilem*, ubi cum altera *magis probabili* conferatur, *probabilem* manere negavit; idque rectissime, sive rem ex parte intellectus, sive voluntatis spectemus. Nam quod ad intellectum attinet, cum illius proprium obiectum sit verum, cui dum *perspicuum* est, ut inquit Cicero Acad. IV. cap. 13. *necesse est ut lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum cedere:* necesse profecto itidem erit eum cedere ei, quod vero propius illi apparet, dum ipsum verum perspicue nequit percipere, quomodocumque demum hic necessitas illa & cessio explicetur. Neque enim ut supra jam monuimus lanx in libra tum tantum deprimitur, dum uni soli pondus aliquod est impositum; sed etiam dum aliquod quidem ex altera, sed minus tamen, est suspensum. Neque intellectus ita omni necessitate liber est ac solutus, ut pro arbitrio modo huc, modo illuc se flectere valeat, sed rationibus libratur tamquam momentis, eoque ubi eæ prægravant inclinatur. Voluntas vero etsi libera sit, suique juris, tamen ductum intellectus sequi debet: saltem prudenter illud non eligit, quod iste refugit. Quanam ratione igitur prudenter cuipiam probari opinio poterit, aut in usum reduci, quæ *minus probabilem*

babilis esse perspicitur, dum cum opposita *probabiliore* comparatur? Esset hoc R. Pater plus quam paradoxum: non operari ex regula prudentiæ, & nihilominus prudenter operari; quod tu nullis argumentis efficies credibile. Petitio autem principii est, genus fallaciæ disputatoribus frequens ex eo præcise, quod aliquid sit *minus probabile*, quia tamen *probabile* sit, inferre velle, prudenter idem eligi posse. Res enim ipsa loquitur, duplicem illam, quæ huic voci *probabalis* subiacet vim, in unam hic confundi, pro certoque poni, quod tamen falsissimum est, omne verisimile qua tale, quidquid in contrarium se offerat, dignum esse, quod approbetur. Et tamen nihil est, quo æque Probabilistarum cathedræ & palpita personent; quod crebrius auditoribus suis inculcent; in quo denique firmius doctrinæ suæ præsidium constituant.

§. VI. Videndum jam, quid tu R. P. in hanc rem, & ad labefactandam Corsini sententiam afferas, quamque valide eam refellas. *Opinio*, inquis, *in se minus tuta, si conferatur cum magis tuta, non fit intuta; ergo etiam opinio in se probabilis, si conferatur cum probabiliori non fit improbabilis.* Antecedens non putas tibi a Corsino negatum iri, ut qui loc. cit. num, 30. ipsus doceat, *licitum esse sequi opinionem minus tutam præ tutiori; cum tamen sententiam intutam sequi non liceat.* Verum quando R. Pater ex sententia Corsini con-

contra eum argumentari volebas, oportebat eam integram, & minime mancam lectori repræsentare, assumptumque illud tuum in hunc modum efferre: *Opinio in se minus tuta, eademque probabiliter, si conferatur cum magis tuta, sed minus probabili, non fit intuta.* Neque enim Corsinus docet fas esse sectari opinionem *minus tutam* absolute, & quamcumque; sed eam solum, quæ manifesto fuerit *probabilior*, veroque propior. At quid tandem ex antecendente illo sic circumscripto cogere liceat? Id quod tu cogis? Id plane, sed paulo restrictius, nempe opinionem *minus probabilem* eamdemque *tutiorem*, si cum *probabiliore minus tuta* conferatur, non fieri *probabilem;* id quod libenter tibi do, daturusque est Corsinus. Verum sicut opinio *minus tuta*, si eadem etiam fuerit *minus probabilis*, in concursu *magis tuta probabilioris*, fit intuta: ita versa vice opinio *minus probabilis minusque tuta* in concursu *probabilioris tutioris* fit *improbabilis.* Quorsum igitur tibi *quoad cónsequentiam disparitatem* dari petis cum potius maxima rationis in argumento sit paritas?

Neque aqua aquæ, neque lacte est lacti, crede mihi, usquam similius.

§. VII. Sed ne ulla tibi R. Pater cavillandi relinquatur porro materia, inferam hic animadversionem similem priori de duplici huius vocis *tutus* significatu, in re hac æque crebro. Alias quippe insulsum cuipiam videri posset, nega-

negare ſimpliciter opinionem aliquam eſſe *tutam*, quæ tamen comparata ad alteram ſolum ſit *minus tuta*: quamvis & hunc ſcrupulum Grammaticis Theologis Auguſtinus Libr. III. contra Creſconium cap. 74. dudum exemerit. Nempe Theologi aliud quidpiam ea voce deſignant, dum ex duabus opinionibus contrariis in materia morali alteram *minus tutam*, *tutiorem* alteram appellant; aliud vero dum *minus tutam*, eamdemque *minus probabilem* in conflictu *probabilioris & tutioris* negant manere *tutam*. Ibi nomine *minus tutæ* intelligunt eam, quæ libertati & immunitati a lege patrocinatur, minusque a peccandi periculo recedit, eo quod revera infringendo legis periculum ſubeatur, ſi hæc circa obiectum opinionis illius ponatur exiſtere: nomine vero *tutioris* denotant eam, quæ legi preſſius adhæret, adeoque ab omni prorſus violandæ legis periculo, etiamſi nempe hæc exiſtere ponatur, eſt remota. At hic, dum *minus tutam*, ſeu eam quæ favet libertati, ſi eadem etiam exſtiterit *minus probabilis*, negant in concurſu *probabilioris* faventis legi manere *tutam*, & ajunt fieri *intutam*, volunt eam fieri ſimpliciter illicitam, neque culpa carere, ſi uſus accedat. Quamquam enim fieri poſſit, ut opinio eiusmodi, legi *directo* haud adverſetur, ſi nempe nulla circa eius obiectum lata fuerit; tamen ſecundum eam operans legem revera infringit, non quidem eam, quæ reſpicit obiectum, ut alibi jam dictum, cum huius

opera-

dubia, imo in noſtra caſu nulla ſit exiſtentia; ſed aliam palmariam prudentiæ, quæ reſpicit operationem ipſam, vetatque id conſectari, quod *illicitum* eſſe firmiora ſuadent argumenta, quam eſſe *licitum*. Igitur recte ſibi conſtat Corſini ſententia.

§. VIII. Obiicis ſecundo loco: *Major certitudo non elidit certitudinem minorem; ſic certitudo fidei quæ ſumma eſt, non tollit certitudinem ſcientiæ, ergo*, volebas inferre, *neque maior probabilitas elidit minorem*. Quum antecedens aſſeras *apud omnes ſanos Philoſophos & Theologos eſſe in confeſſo*, facili conjectura aſſequor, & ipſa rei ratio ſvadet, propoſitum tibi haud fuiſſe ad eam controverſam inter Philoſophos Theologosque quæſtionem hic reſpicere, *an circa idem obiectum certitudo fidei componi poſſit ſimul in eodem intellectu cum certitudine ſcientiæ;* Sani quippe etiam ſunt, qui id negant; ſed hoc dumtaxat dicere voluiſſe, idem obiectum in ſe poſſe certum eſſe & *certitudine fidei*, & *certitudine ſcientiæ*, quæ minor eſt priore, quin tamen per eam tollatur. Et ſic quidem verum dicis; Sed falſiſſimum eſt, quod ſubdis, *conſequentiam formare juſtam paritatem*. Probatam aliis jam exemplis habemus tuam Dialecticen, neque hic verba nobis dari creduli patiemur. Si ex antecedente illo id ſolum confeciſſes, *maiorem probabilitatem* alicuius opinionis non elidere *probabilitatem minorem* eiusdem opinionis;

nullo vitio concluſio tua laboraret, cum utrinque de *certitudine & probabilitate* diverſa eiusdem opinionis ſermo eſſet, fierique poſſit, ut idem obiectum ſecundum diverſas rationes, uti certum *certitudine fidei & ſcientiæ*, ita & *magis minusque probabile* ſit. At ex eo, quod *maior certitudo* quæ eſt *fidei* conſiſtere poſſit cum *certitudine minore ſcientiæ naturalis* circa idem obiectum, concludere velle, poſſe itidem circa diverſa obiecta inter ſe pugnantia conſiſtere hinc *probabilitatem maiorem*, illinc vero *minorem*, non eſt certe e regulis ſanæ Dialecticæ argumentari.

§. IX. Non eo quidem inficias, id quoque contingere poſſe in ſenſu ſupra explicato, quatenus nempe *probabilitas* meram dicit veriſimilitudinem; ſed tuæ ſolum illationis vitium in hoc argumento redarguo. Alioqui enim, cum etiam idem obiectum ex aliquo capite *certum* eſſe poſſit, ex altero vero ſolum *probabile*; ſequeretur pariter opinionem quampiam, ſi tamen opinio dicenda foret, *certam* eſſe poſſe, & nihilominus alteram e diametro ei oppoſitam manere *probabilem*, quod nemo ſanus profecto dixerit.

§. X. Cum ergo argumentum hoc tuum abnormiter adeo claudicet, docebo ego te Philoſophiæ Doctorem (ſit verbo venia) qua ratione rectius illud conformare potuiſſes, minime

nime tamen in rem tuam, ſed noſtram. Nempe ſicut (ὑποθετικῶς loquor) ſi concurrerent duæ propoſitiones, pugnantia inter ſe enuntiantes, quarum altera eſſet *certa certitudine fidei*, altera vero *certa certitudine ſcientiæ naturalis*, eo caſu *certitudo fidei* utpote maior elideret *certitudinem naturalem minorem* alterius, ita ut hæc *falſa* redderetur penitus, vel ſaltem indigna, cui quis aſſenſum præberet: ita pariter dum duæ concurrunt, quarum una eſt *probabilior*, altera *minus probabilis*, *probabilior* elidit *probabilitatem minus probabilis*, ita ut hæc reddatur *improbabilis*, minimum eo ſenſu, ut nemo prudens ei aſſentire, ex eave pro re conſilium capere poſſit; quod addo propter duplicem huius vocis *probabilis* ſignificationem a nobis ſupra detectam. Itaque *in ſtipulam verſi ſunt lapides fundæ.* Job. 41.

Caput Ultimum.

Tertio Hofmanni argumento ſatisfit. Operis concluſio.

§. I.

Nulla maiorem moleſtiam diſputantibus faceſſunt argumenta, quam quæ ita concinnantur, ut ſi adverſario conſentias, receptui te canere oporteat, dictaque indicta facere; ſin, in invidiam incurras aliorum. Ac ingenui

nui quidem liberalesque disputatores ultro eiusmodi tendiculis abstinent; utuntur vero frequenter, qui unice odio in adversarium concitando student, quosque alia argumenta ex rei natura petita destituunt. Ad hoc genus tu quoque veluti ad sacram anchoram, aliis diffisus, postremo loco confugis, dilemmaque iterum expedis, cuius partem alteram si concedat tibi Corsinus, causam suam proditurus sit; si vero admittat alteram, *iniuriosissimi* infamia *in clarissimum Prædicatorum Ordinem* sit flagraturus.

§. II. Ac mirari quidem subit, quid causæ fuerit, cur hanc potissimum religiosam familiam in aciem hic educere volueris, cum luculenta aliarum etiam præsto fuissent exempla, quæ itidem singularia quædam sibique peculiaria habent placita. Fallor? an ut ita Viros gravissimos cum scholis Piis committeres, si doceres ex harum alumni doctrina fœdum illud cosectarium fluere, *quod PP. Prædicatores in materia sacra sententiam improbabilem sequantur?* An quod non alia magis idonea ratione crucem Corsino te figere posse sperares, quam si declinandæ palinodiæ tam duram ei offerres conditionem, quam ille numquam esset initurus? An denique ut ipsos PP. Prædicatores, quibuscum vetus Societati tuæ est simultas, oblique ferires, ibique velleres, ubi mulcere videreris, quod ipsi *probabilissimum* insectando, ex alia parte incauti in angustias incidant? Quidquid

sit

ſit, quantumcumque etiam per honorificam illam *Ordinis antiquiſſimi, ſacerrimi, & doctiſſimi* appellationem videri volueris eorum gloriæ, velificari; re ipſa tamen inſidias ei ſtruxiſti illo tuo dilemmate, non minus quam Corſino. Quodſi enim opinio *negans* immaculatam Deiparæ Conceptionem *improbabilis* eſſe ſtatuatur, ubi cum *probabiliore affirmante* collata fuerit, ſequetur ex ratiocinationis tuæ regula PP. Prædicatores *improbabilem* tueri opinionem; ſi vero ex hac collatione negetur fieri *improbabilis*, ſequetur itidem eos *improbabilia* docere; cum quotquot ex iis ſunt hoſtes *probabiliſmi*, uti ſunt hodie quod ſciam, plerique omnes, idem quod Corſinus contendant, nempe opinionem *minus probabilem in concurſu probabilioris effici improbabilem.*

§. III. Ego vero R. Pater, qui hactenus ut opinor Corſinum a criminationibus tuis immunem in aliis præſtiti, præſtabo Deo juvante quoque in hoc & illum & PP. Prædicatores ita, ut utrorumque circa *probabiliſmum* doctrinæ firmitas nec vacillet, nec iſti probrum quaſi *in materia ſacra improbabilia doceant*, cogantur ſuſtinere. Quod quidem dum tibi recipio, cave exiſtimes me eorum de B. Virginis Conceptu ſententiam tutaturum. Scio quid ſummorum Potificum Decretis circa id proviſum ſit, quique prioribus hac de re conten-

tionibus fixi sint limites. Id dumtaxat dabo operam ut PP. Prædicatorum famam existimationemque doctrinæ contra insidias tuas vindicem.

§. IV. Itaque dum PP. Prædicatores Virginem Beatissimam sine primigenia labe conceptam fuisse negant, tuentur sententiam, non ut tu R. Pater putas, *minus probabilem* aut *improbabilem*, sed prout ipsis videtur *probabiliorem*, utpote scripturæ, Conciliis, Sanctorum Patrum decretis, ex eorum opinione conformiorem, quam sit opposita. Non ego eos credo tam imprudentes fore ac vecordes, ut hoc præsertim sæculo, quo sententia *favens* Virgini jam evasit communior, studium aliquod asserendæ suæ dicare vellent, aut ei tam firmiter inhærere, si eam veritati propiorem haud existimarent: persuasumque habeo ipsius etiam D. Thomæ auctoritatem hac in re eos minime moraturos. Placuit mihi semper ea P. Contensoni protestatio, quam præloquio Tom. I. Libr. 6. Theologiæ suæ Mentis & Cordis inseruit: *Veros Angelici Præceptoris discipulos rigidiores esse moralis eius doctrinæ sectatores: adeo ut si aliquando deserendus foret Magister ille, in cuius verba jurarunt, data optione mallent ab Eius speculativis assertionibus recedere, quam decisiones eius morales quadamtenus temerare.* Quos quidem sensus egregius hic Alumnus dubio procul hausit a sui Ordinis Patribus Romæ in Capi-

Capitula Generali an 1655. congregatis, qui Admonitione 14. Singulos Theologiæ Professores monitos voluerunt serio, *ut minus animosa extrinsecarum probabilitatum suffragia devitent, & sanæ Angelici Præceptoris doctrinæ in omnibus, præsertim vero in moralibus ubi pressius de salute & indemnitate animarum agitur, adhærere satagant*, prout refert P. Gonet Dissert. de Opin. prob. art. 1. §. 2. Præclare profecto, ad excutiendum ruborem iis, qui cum S. Thomam ceu *Doctorem proprium* se amplecti & sequi prædicent, ac in quæstionibus meræ cognitionis pro sententiis, quas jure, an iniuria? Eidem tribuunt fortiter revera dimicent; in doctrina morum tamen religioni sibi haud ducant apertam interdum ab eo facere secessionem. Saltem Propositorum suorum decretis circa opinionum moralium delectum ita obsequerentur, uti suis morem gerunt PP. Prædicatores, *probabilissimumque* ceu tutam agendi normam, quod hi faciuut abdicarent. *Hanc Prædicatorum Ordinis notam quisquis fronte non præfert, nec noster est, nec a nostris agnoscitur, etsi forsan a nobis exierit. Quidquid quovis in libro hac Ordinis nota signatum non est, id a nobis nec recipitur nec probatur*, verba sunt recentioris Prædicatoris P. Serry in Confutatione Responsi Epistolaris P. Danielis.

§. V. Sed in viam, unde digressi sumus. Regeres tu mihi R. Pater, opinionem *faven-*

tem intemerato B. Virginis conceptui multo esse *probabiliorem* contraria; ita vero supponere te fateris: quanam igitur ratione prærogativa hæc opinio PP. Prædicatorum ex eorum sententia gaudere poterit? Laudo in primis tuam hac in re animi moderationem, quod opinioni *piæ* nullum *certitudinis* gradum tribuere fas tibi esse duxeris, sed *maioris probabilitatis* dumtaxat: ita enim indiscretum quorumdam Zelum, etiam e Societate tua, & præter alios novissime P. Iosephi Milanese Siculi damnare te prodis, qui in Libello Panormitanis typis anno 1742. excuso, ad *certitudinis* gradum invitis superis eam evehere est conatus. Verum quod tibi, aliisque (fortasse & mihi) ea opinio *probabilior* videatur, non efficitur continuo revera *probabiliorem* esse, aut PP. Prædicatoribus talem videri debere. Quod, si id contenderes, revincereris exemplis? quod non dico *minus probabilia* sed falsa penitus videntur interdum Theologis, qua alii ceu *probabiliora* aut *certa* amplexantur?

Mihi quidem hercle non fit verosimile: atqui
ipsis commentum placet

aiebat servus ille apud Comicum Andr. 1. 2, Oporteret ingenia, judiciaque aliorum mutare nostris, si nostras aliis persvadere semper vellemus sententias. Istiusmodi quidpiam alibi jam a nobis est observatum.

§. VI.

§. VI. At hic tu me novo insultabis ariete, concludique hinc dices, debere PP. Prædicatoribus opinionem *faventem* Conceptioni, si eam ad suam *probabiliorem* comparent, videri *improbabilem*, si quidem indubium sit hoc eorum præiudicium: *opinionem minus probabilem in concursu probabilioris evadere improbabilem.* Hinc vero aliud longe absurdius conficietur confectarium: *Ecclesiam favere opinioni improbabili, eamque in numero piarum habere.* Ita, inquies, imprudentes eo, quo minime volunt, nihilominus relabuntur. Ita quoque

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Hor. I. Sat. 2.

sed bona verba R. Pater. Nondum ita me stringis, ut digitum cogas exserere.

§. VII. Et quando quid nomine opinionis *improbabilis* in hac formula veniat, præcedenti capite jam explicui, levor labore, idem hic iterum inculcandi. Unde in pauca rem confero, aioque, opinionem *faventem* Conceptioni a P. P. Prædicatoribus minime existimari *improbabilem.* *Piam* illam etiam ipsi fatentur, utpote quam Ecclesia appellatione hac ornarit, suoque favore etiamnum dignetur. Licet cuique per illos eam amplecti, voce item & calamo tueri, iis etiam, quibus eadem forte mi-

nus verosimilis videatur. Impunitatem hanc, quamquam eam omnia alia deficerent præsidia, conciliare tamen ei apta sunt, reque vera conciliant Sedis Apostolicæ constans in eam propensio, & in eius favorem tot promulgata a Romanis Pontificibus Constitutiones, quæ solæ tanti sunt momenti, ut dum ratæ maneant, nullis pro opinione contraria incurrentibus argumentis sententiæ *piæ* probabilitas labefactari possit, efficique, ne prudenter quisque se gerat, qui eam amplecti maluerit. Quid tum deinde? idcircone falsum est, opinionem *minus probabilem* in concursu *probabilioris* reddi *improbabilem?* Plane falsum, ubi *minus probabilis* talibus præsidiis fuerit munita, uti est hæc nostra. At non idem de aliis tam fidenter pronuntiandum, quas nec Apostolicæ sedis favor, nec ulla Summorum Pontificum decreta defendunt, quæque intra solius tolerantiæ limites continentur, quam tamen nefas est trahere in probabilitatis argumentum.

§. VIII. Et hæc quidem R. Pater ex abundanti solum, nulla argumenti tui constrictus necessitate adduxi, modo ut tibi gratificarer, si forte alias ea controversia anxium te haberet. Nam genuina ad argumentum tuum responsio hæc est: falso te niti suppositio, dum illud de opinione *minus probabili* in comparatione *probabilioris* Corsini effatum

effatum generatim accipiendum putas, quasi scilicet unaquæque minus verosimilis opinio in quacumque materia tum *improbabilis* efficiatur. Minime. In *morum* dumtaxat materia id locum sibi vindicat, dum scilicet pugnantes inter se de *bonitate ac honestate* actus cuiuspiam vel obiecti concurrunt opiniones: quarum quæ *honestati* illius favet, si minus verosimilis eadem fuerit, hoc ipso collata cum altera *probabiliore* seu verosimiliore reddetur *improbabilis*, imprudensque, inhonestus ac illicitus illius usus erit. Eadem doctrina etiam rebus *fidei* est accommodanda. At in aliis locum non habet. Quomodo enim illic opinionem *minus probabilem* ex comparatione *probabilioris* fieri *improbabilem*, seu inhonestam & illicitam, quæ in usum deducatur, dicere quispiam possit? quando de alterutrius *honestate* nulla tunc est controversia, sed de nuda tantum veritate, cuius minorem similitudinem non semper elevari maiore, supra non invitus tibi largitus sum. Equidem etiam in his omnem imprudentiæ notam non effugeret is, qui repudiata *probabiliore* opinione ad *minus probabilem* temere se applicaret nulla alia graviore ratione incurrente; at imprudentia hæc nullam idcirco *moralem* culpam actioni eius induceret, ut inducit, dum quis in rebus *fidei* aut *morum* ex opinione *minus probabili*, *minusque tuta* operatur.

§. IX.

§. IX. Discrimen hoc inter utriusque generis quæstiones annotavit jam dudum Doctor Angelicus Quodl. 3. art. 10. hisque verbis expressit: *Diversæ opiniones Doctorum Sacræ Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim locum habet, quod Apostolus dicit ad Roman. 14. Unusquisque in suo sensu abundet. In his vero quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri.* Imo ante illum Lactantius Libr. III. Instit. Div. cap. 7. de Physica & Morali Philosophiæ parte loquens idem tradidit. *'Quoniam* inquit, *in disponendo vitæ statu, formandisque moribus maiori periculo peccatur, maiorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat vivere. Illic enim potest venia concedi, quia sive aliquid dicunt, nihil prosunt; sive delirant, nihil nocent. Hic vero nullus dissidio, nullus errori est locus; omnes unum sentire oportet, ipsamque Philosophiam uno quasi ore præcipere: quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori parte ut periculi minus, ita plus difficultatis est, quod obscura rerum ratio cogit diversa & varia sentire: hic ut periculi plus, ita minus difficultatis, quod ipse usus rerum, & quotidiana experientia possunt docere, quid sit verius & melius.*

§. X. Ut ergo quod res est, dicam, quæstio de illibato B. Virginis Conceptu ex earum

rum eſt genere, quæ nullam cum *fide* aut *moribus* hucusque habent connexionem. Non cum *moribus*, quia hic non quæritur de *honeſtate* alicuius actionis, vel utrum ſentire, aut ex utro operari ſit *illicitum?* Non etiam cum *fide*, ut certum eſt ob expreſſas Romanorum Pontificum hac de re cautiones. Controverſia dumtaxat eſt, an Virgo Beatiſſima a communi hominum contagione in primo ſui ortu fuerit immunis, nec ne? & utrum horum ſit vero propius? Tu ſtatuas quod vis, etiamſi ei, quod minus firmis tibi videtur fulciri rationibus, accedas, perinde liber a culpa eris, & germanus Eccleſiæ filius: modo tamen debitam Sanctionibus Apoſtolicis præſtes obedientiam, intraque religioſi ſilentii cancellos, quod unum illæ hac in re exigunt, te contineas, ſi forte contraria *piæ* ſententiæ opinio tibi præplaceat.

§. XI. Sed prolixior juſto videbor fortaſſe nonnullis, ubi breviſſimum eſſe oportebat; ne aliquam ſtruendæ mihi calumniæ, ut ſunt idonea quam maxime ad id hominum ingenia, anſam darem. Et tamen dandum etiam aliquid operæ fuit cum Corſini ſententiæ vindicandæ, tum præclariſſimi PP. Prædicatorum Ordinis famæ ſervandæ, cui ab illa neſcio quod periculum imminere non rogatus augur præſentiebas. Quamquam

etiamſi

etiamsi ultro tibi darem, id ex Corsini doctrina consequi, quod tu efficere volebas, nempe *PP. Prædicatores* (quod tamen falsum est) *in Controversia Conceptionis improbabilem sententiam tueri*; aut si ipse etiam Corsinus præcisis verbis id asseruisset: non putem tamen, eam æque *iniurium in hunc antiquissimum, sacerrimum & doctissimum in Ecclesia Ordinem* exstiturum, atque exstitit is, qui eam ob causam *impietatis erga Beatam Virginem* eiusmodi alumnos accusavit, torque alias conviciis, dicteriis, calumniis eorum famam proscidit per summam iniuriam, quot nemo Sanctorum Patrum aut Catholicorum Doctorum in apertos fidei hostes jure umquam effudit. Quodsi porro, quisnam is fuerit, rescisscere aves R. Pater, oculos *in Vallem Clausam* dumtaxat obvertere necesse est, & illic auctorem famosissimi post natas litteras libelli *de Immunitate Cyriacorum*, carnificis manibus pluribus in locis merito suo exusti, vestigare.

§. XII. Verum tempus tandem est colligendi sarcinas, quando eo pervenimus, ubi tu quoque exagitando Corsino finem ponis ac modum; sed ita, ut qui a conviciis cæpisti, in eadem etiam desinas. Quam maxime nempe in hac tam præclara causa cordi esse oportebat Horatii in Arte monitum de fabula

— —

— — — Servetur ad imum,
Qualis ab incepto processerit, & sibi constet.

Nam veniam prolixioris tuæ in Corsinum declamatiunculæ a lectore precatus, de hac ita te purgas: *quod is plures paginas absurdissimis improperiis impenderit, quam tu iis retundendis conscripseris lineas.* Sed bonum omen! quod nemo se tibi ita emanciparit, ut aptum hac in re te cogatur agnoscere judicem, neque ipse per se dicti illius veritatem possit explorare. Ego vero si quid ab erudito lectore, in cuius forte manus nostra hæc perventura sunt, precario petere necesse habeam, illud est, ut ne vitio mihi vertat, animum me ad refellendas tam copiose, paucas libelli alioquin obscuri paginas appulisse, tantumque illius auctori honorem habuisse, homini scilicet ferrei oris, & plumbei cordis. Scio enim vere alias a Tertulliano dictum: *mnita esse indigna revinci, ne gravitate adorentur.* Et id quidem maxime huic tuo R. Pater opusculo congruebat. Sed cur id nihilo minus facerem, aliæ *probabiles* svadebant causæ.

§. XIII.

§. XIII. Pulchrum etiam eſt, quod *pro dignitate ſententiæ Probabiliſtarum coronidis inſtar te ſtatuere* ais, dum *eadem nihil omnino ab Hiſtoriographo eſſe convulſam* pronuntias, & *ſolius obvii, paſſimque noti Patris La Croix* Libr. I. cap. 2. fidem appellas. De hoc quoque aliorum erit judicare; invenienturque plures, qui inter legendum, Patrem La Croix nihil novi, quod ab adverſariis dudum occupatum & convulſum non fuerit, apportare videntes, illud in memoriam ſibi revocent:

— — — Et citharœdus
Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem.

§. XIV. Sed quod extremo loco affers, omnium eſt pulcherrimum. Verebaris nempe, ne pro didaſcali quo fungeris munere, Corſinum doctiorem a te haud dimitteres; quam ob rem hoc eum augere voluiſti documento: *Ne blasphemet, quod ignorat.* Non ſuſpicetur lector, quæ de immani eorum, qui Probabiliſtis conſentire nolunt, ſcelere ſupra adduximus Poëtarum eſſe figmenta; vera nimis quam eſſe ipſe probas, dum *blaſphemiæ* crimen eapropter Corſino infers,

infers, eoque Scriptoris Sacri phrasim usurpas. Ac licet quidem potiori fortasse jure id ego in te retundere possem; malo tamen humanius te missum facere, & documenti loco illud Græci hominis apophtegma tibi commendare:

Ῥᾴων ἐστὶ μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι.

Ut autem, qui Græca non calles, intelligas quænam verbis his subiiciatur sententia, habe illud etiam Latine:

Facilius est reprehendere, quam imitari.

O. A. M. D. G.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Cum ad paucorum manus fortaſſe venturus ſit Hoffmanni libellus, qui has Vindicias pro Viro Clariſſimo Eduardo Corſino expreſſit, aliquorum vero deſideria ſollicaturus: ne quidpiam ex eo mala fide hic recenſitum, aut auctori temere affectum ſuſpicari quis poſſit, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit Typographus, ſi loca ea, quibus Corſinum allatrare auſus eſt, integra hic repræſentaret, retentis etiam ſphalmatibus, quæ in editione Pragenſi reperiuntur.

* * * * * * * * * * *

EX

PRÆFATIONE AD LECTOREM.

Ad hæc Auctorum quorundam ſenſa & opiniones refello, nullô ad id inductus litigandi ſtudiô, ſed unô veræ fidei tuendæ obſequiô, & firmandæ veritatis amore. Quòd ſi tamen, extra conſvetudinem meam, penna mea, verba quæpiam aſperiora effunderet in chartam, ad ea me prorſus adactum fuiſſe, aut opinionis contrariæ indignitate, aut exquiſitorum conviciorum inſolentiâ, nemo non deſpiciet, qui æquô nullóque præiudiciis animô occupatô, inter me, adverſariósque meos, diſcernere voluerit. Scribendi rationem, quod attinet, Peripateticâ utor, & quemadmodum nihil ſolicitor de verborum ornatu, ità quoque nec ambigo terminos in Scholis uſitatos, longa firmatos Authoritate, & ad ſuccincte, ac dilucide explicandum conceptum noſtrum idoneos, liberè adhibere; longè námque abeſt, quamvis totæ Neoterico rum vires fatigentur, ut collabaſcat Scholaſtica docendi methodus, cui conſervandæ nunquam non deerunt Viri plurimi, melioris doctrinæ, & probatioris eruditionis amantes.

tes. Paucula hæc, cùm Amico Lectori prævie dicenda duxi, ſimul etiam eundem requirere conſtitui, ut huic, qualiscunque ſit, conatui noſtro æqui conſulat, boníque.

§. XXIX. Diſſentit à nobis Piſanus Philoſophiæ Hiſtoriographus (hoc nomine dignus, quod ſententias tum novas, tum veteres conquiſierit ſedulò, plurimásque illarum retulerit fideliter) cùm inquit: *ſecus vero de humanis legibus, atque externis actibus, qui ad vitæ ſocietatem, atque officia pertinent, cenſeri debet. In iis enim — ſi metus, qui in conſtantiſſimum hominem cadat, ſive metu maioris mali interceſſerit, actùs ille veluti involuntarius cenſeri ſolet* (*Tomô 5. Inſtitut. Pbiloſoph. Diſputat. 2. Cap. 3. Num. 12.*) Sed contra eundem eſt *Imò.* actionem, quam ponit operans cum cognitione finis, hanc *verè vult & efficaciter*, licèt ſi circumſtantiæ hæ vel illæ abeſſent, eandem nollet, ſed actionem ad vitæ Societatem & officia pertinentem ex metu etiam in conſtantiſſimum virum cadente ponit operans cum cognitione finis, ergo eam vult efficaciter; ſubſumo: ſed quod *quis vult efficaciter, illud eſt verè voluntarium*, ergo. Contra eſt *2do.* juxta Ipſum Hiſtoriographum: *qui prædoni mortem minitanti pecunias erogat, vitámque remittit, voluntariè pecuniam elargitur* (*Diſp. 2. c. 3. N. 11.*) ergo etiam qui ex damni gravis metu in conſtantiſſimum virum cadente v. g. tutelam ſuſcipit (qui actus profecto *ad vitæ Socic-*

cietatem & humana officia pertinet) damnúmque hâc tutelâ eludit, voluntariè Tutor fit. *Probatur conſequ.* in priori caſu voluntaria eſt elargitio pecuniæ, *quia voluntas in minus vel levius malum, quod ſibi tunc velut bonum proponitur, ità inclinat, ut illud elígat* (*Citato N. u.*) atquí etiam in poſteriori caſu voluntas ità inclinat, ut eligat tutelam præ graviori damno, quæ ſibi tunc velut bonum proponitur, ergo. Contra eſt *3tiò.* juxta Eundem: *mercator, qui oborta tempeſtate mortis inſtantis timore merces in mare proïicit, liberè ac voluntarie eas proïicit*, ergo etiam qui v. g. gravis infamiæ metu teſtamento ſubſcribit (rurſum actus eſt *ad Societatem vitæ, & humana officia pertinens*) liberè ac voluntariè ſubſcribit: *cùm ità ſubſcribat, ut poſſit abſolutè non ſubſcribere, ſicut mercator proïicit merces, ut poſſit abſolutè eas non proïicere.* Neque video profectò ullam ſanam aſſignabilis diſparitatis rationem, nam *L. ait Prætor ff. quod met. cauſ. quod metus cauſſa geſtum erit, ratum non habeo,* nihil conducit ad rem præſentem, quia *contractus, votum ſolenne, ſponſalia* &c. irrita eſſe, ſi fiant ex gravi metu, non oritur *ob defectum voluntarii*, ſed *ob diſpoſitionem Juris poſitivi*, volentis eiusmodi actus in ordine ad valorem ita eſſe liberos, ut nihil omnino gravis metûs intercedat; quod ipſum ampliùs declaratur per effatum apud Theologos receptum: *Eccleſia non obligat cum gravi incommodo* (*Diſput. 2. c. 3. N. 12.*) hoc eſt: pro circumſtan-

tia gravis metûs lex Eccleſiaſtica (par ratio eſt de Civili; imò & interdum de naturali affirmativa) è mente Legislatoris non habet vim obligandi, ſublata autem obligandi vi non hôc ipſô tollitur voluntarium, ſic *teſtamentum ſolenne*, niſi à ſeptem idoneis teſtibus ſubſcriptum fit, ſignatúmque, *irritum eſt, & invalidum, an propterea teſtanti involuntarium?*

§. XXXVI. Tametſi certum omnes tenemus Deum Motorem primum, primamque cauſam *ad actiones omnes tum liberas tum neceſſarias ità concurrere*, ut de abſoluta ſua Potentiá concurſu hoc ſe abdicare non poſſit, quòd alioquìn ſupremum in actiones noſtras amitteret dominium, cùm hoc in titulo primi Effectoris principaliter fundetur; nihilominus tamen magna inter Doctores etiam Orthodoxos oritur controverſia, qua ratione concurſus hic ad actiones liberas, ac cumprimis ſalutares cum libero arbitrio, ut ei nihil officiat, ſit conciliandus: alii eundem per *decretum prædeterminans ab intrinſeco efficax, & abſolutum infallibiliter conſenſum inferens* explicant, alii *ſuppoſitâ ſcientiâ mediâ per decretum indifferens, & æquivalenter conditionatum.* Verum tamen, quoniam Moralis Philoſophi parùm intereſt, hócne, an illô modô concurrat Deus? modò perſvaſus ſit *neutrô modô aut Omnipotentiæ Dei, aut ſupernæ gratiæ, aut libertati ſuæ derogari;* perſvaſus autem ſic eſſe poteſt, cùm *utraque ſententia in Univerſitatibus*

bus Catholicis, imò in ipsa Ecclesiæ facie doceatur; eapropter de controversia hac fusiùs hîc loci tractare supervacaneum quidem duxi, omni tamen silentio nolui præterire temerarium Pisani Historiographi super scientia media & decreto indifferente judicium, quod (*Tom. 5. Disput. Eth. 2. c. 2. N. 11.*) sequentibus exponit: *tantùm tamen abest, ut eiusmodi concordiæ vel scientiæ*, scilicet mediæ, *genus admitti possit, ut potiùs hypothesis illa, cui innititur veluti falsa, & absurda manifestissimè demonstretur.* Quod equidem cùm nihil nisi præposterum sit assertum, nihil nisi præoccupatum animum sapiat, ego nè quidem responsô dignum autumo; illud duntaxat quæro: à quo amabò *hypothesis illa, cui innititur scientia media, veluti falsa & absurda manifestissimè est convicta?* audiamus quid Historiographus dicat citatô locô: *hoc quidem clarissimis alibi* (scilicet in suo *Tomo 4to. Metaph. Disputat. 3. cap. 4.*) *certissimísque rationibus & scripturarum Authoritatibus demonstratum esse putamus, ut ab ingenuo Philosopho, veræque doctrinæ amatore negari non possit.* Hem Pisanum! Ille Ille controversiam hanc à geminis sæculis inter Doctores utriusque partis ingeniô ac doctrinâ præstantissimos solicitè agitatam, velut Gordium Macedo, uno ictu diremit; Ille certissimas evidentissimásque rationes, hactenus tantis Viris ignotas attulit, quibus adversæ sibi sententiæ omnem elisit probabilitatem; Ille adeò solide, ac nervosè argumentatus

eſt, at nec ingenuus Philoſophus, minus probus Theologus, aut veræ doctrinæ amator dici poſſit, qui ei victas non ſubdit manus. Sed quis hoc aſſeverat? αυτος εφα! *riſum teneamus amici*, niſi fortè *falſam, & manifeſtiſſimè abſurdam* Hiſtoriographi *jactantiam* ridere lubeat; Ille hoc aſſeverat, qui ipſus (*Metaph. Diſput. 3. c. 4. n. 17.*) pro explicanda ſententiæ utriusque difficultate Auguſtinum allegat ingenuè confitentem *iſtam quæſtionem, ubi de libero arbitrio voluntatis, & gratia Dei diſputatur ità ad diſcernendum difficilem eſſe: ut quando defenditur liberum arbitrium, negari gratia Dei videatur; quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri* (*de grat. Chr. c. 47. & Contra Jul. 4. 8.*) Ille hoc dicit, qui decretum prædeterminans ab intrinſeco efficax, & abſolutum adeò *infirmis, dudumque ſolutis pertractat argumentis, adeò mancè reſpondet objectionibus, quas obvias ſibi, leviſſimàsque ponit diſſimulatis ſolidioribus, ut ſententiæ huic ab illo vix ullum* (quamvis plurimum ab aliis doctrina, & virtute Celeberrimis Viris pro prædeterminatione decertantibus) *pondus accedat aut momentum.* Nihil me hìc ex præpoſtero affectu dixiſſe animadvertet amicus Lector, modò Piſani *Tom. 4. Metaph. Diſput. 3. c. 4.* legere non fuerit gravatus.

§. XXXIX. Quid de obiecto intrinſecè malo & bono Hiſtoriopraphus ſentiat, verbis

Illius

Illius expono: *itaque cum Aristoteles ait actus aliquos reperiri, qui necessariò ac invariabiliter mali, — qui constanter ac invariabiliter boni esse debeant- reponi facile poterit illorum actuum bonitatem, sive malitiam non aliunde oriri, quam ab ipsa hominis natura, quæ hac potius, quàm alia ratione à Deo est constituta* (*Tom. 5. Eth. Disput. 2. C. 4. N. 8.*) Patentem asserti huius falsitatem, sanè à *nullo ingenuo Philosopho, veræque doctrinæ amatore* sectandam, uno dumtaxat dilemmate facio manifestam: *Vel alia ratione constitutâ hominis naturâ v. g. odium Dei esset malum, vel non esset malum?* si malum: *ergo falsa est sententia Historiographi docentis malitiam non aliunde oriri, quam ab ipsa natura hominis hac potiùs, quàm alia ratione à Deo constituta;* si vero non esset malum: *ergo possibilis est aliquis status naturæ rationalis, in quo odium Dei aut bonum sit, aut saltem indifferens. Probatur Illat:* inter bonum, malum, & indifferens nullum datur medium respectu actûs humani; *subsumo: atqui odium Dei constitutâ aliter à Deo naturâ hominis non esset malum juxta Historiographum, alioquin enim sibi contradiceret, ergo esset vel bonum vel indifferens.* Similiter absurdum est, quod habet (*citato Disput. & Cap. N. 7.*) *cæterum an Deus alia ratione naturam hominis condere, vel ad alium finem dirigere potuerit: ideoque ius naturale mutari possit, ut ea quæ in hac hypothesi bona sunt, in alia mala forent, alii viderint, qui hæc subtilius atque etiam inutiliûs fortè*

inquirunt. Pios Cœlites! inutilene ſit indigare: an amor Dei in hac hypotheſi bonus in alia poſſit eſſe malus? inutiléne ſit aſſerere nullam eſſe poſſibilem hypotheſin, in qua amor Dei poſſit eſſe malus, aut odium Dei bonum? Hæc quid ſapiant, ego decidere nolim, ſed prudentis Lectoris pio judicio ulterius cedo ruminanda.

§. XL. Quid ſi quis oggerat Hiſtoriographum (*Tom. 5. Diſp. Etb. 2. c. 6. N. 12.*) ſentire: *perditam eſſe, & impiam eorum Doctrinam, qui ità naturæ legem à libero voluntatis Divinæ arbitrio pendere arbitrantur, — — ut cum Ipſi blasphemias prohibere libuerit, ſeque ſincero religionis cultu & amore honorari juſſerit, potuerit tamen hominibus imperare, ut blasphemiis Deum coherent, ipſumque odio & diris execrationibus honorarent.* Reſpondeo hæc me prorſus non latere, ſed tantùm non diſpicere, qua ratione cohæreant cum iis, quæ ſupra allegavi, atque etiam cum eo, quod habet Hiſtoriographus (*eadem Diſput. 2. c. 4. N. 5.*) *bonitas humanis actibus intrinſecè inhærens inſeparabiliter conjuncta, vel actus ipſi neceſſario, ac invariabiliter boni dicentur non abſolutè, ſed ex hypotheſi, ſuppoſitô quòd Deus hoc potiùs modô, quàm alio naturam humanam creaverit, ideóque ad finem huic naturæ debitum, vel convenientem direxerit.* Quod sì ità, infero profectò: vel Piſanum contradictoria admittere, vel alterutrum illius aſſertum luculenter eſſe falſum, quod ſic *probo*:

Ex

Ex hypotheſi, quòd Deus aliô potiùs modô, quàm hoc naturam humanam creâſſet; & ad finem illi naturæ debitum diſexiſſet, *vel potuit imperare hominibus, ut ſe odiò honorarent, vel non?* Si potuit imperare: *ergo non eſt perdita doctrina eorum, qui hoc*, blaſphemè tamen, *docent*; ſi non potuit imperare: ergo *actus neceſſariò boni vel mali* (bonitate nempe vel malitia radicali) *dicuntur abſolutè, non ex hypotheſi, quòd Deus naturam humanam hôc potiùs modô, quam aliô, ad hunc potius finem, quam alium creaverit.* Si ergo rectè & piè philoſophari voluit Piſanus, ità eundem nobiſcum ſtatuere oportuit: *nihil eſt moraliter formaliter bonum, vel malum, nisi concipiatur cum relatione ad legem æternam vel prohibentem vel præcipientem; dantur tamen aliqua moraliter fundamentaliter, & radicaliter mala & bona, quorum hæc ùt creaturæ rationali per ſe convenientia eſſentialiter exigunt præcipi, illa ut per ſe diſconvenientia eſſentialiter exigunt prohiberi ex ſuppoſito naturæ humanæ, quôcunque modô creatæ.*

Ex §. XLV. *Conſcientia probabilis* eſt, cùm gravibus & ſolidis nitentes rationibus judicium prudens formamus, probabile eſſe legem non obligare, non obſtantibus æquè ſolidis, aut gravioribus etiam rationibus, probabile aut probabilius eſſe legem obligare; neque enim hæc repugnantiam quampiam involvant, cùm negatio totam propoſitionem non afficiat. *In conſcientia probabili conſtitutus, formatô judiciô reflexô*

reflexô practicè certô, licitè se determinare potest ad alterutram partem, non modò si utraque sit æquè probabilis, sed etiam si una alterâ probabilior.

§. XLVI. Sententiam hanc postremam, nescio quô œstrô perculsus, aut sub quô ementito pietatis tuendæ schemate Pisanus Historiographus plurimis lacessit conviciis. Unum è centenis refero (ad plura longè deteriora sepia mea erubescit) & ex hoc veluti ex ungue leo cognoscetur: *id unum reponere juverit*, inquit Pisanus (*Tom. 5. Disp. Eth. 2. c. 10. N. 31.*) *quod immeritò prorsus illi, veluti gravissimi, doctissimi, sapientissimi habentur, atque mirificè commendantur, qui perniciosam hanc doctrinam*, scilicet probabilismum, ùt vulgò audit, *non sinè maximo Theologiæ dedecore in aeternam animorum perniciem invexerunt.* Tempus autem me deficiat, si omnium eorum, qui sententiæ nostræ suffragantur, catalogum ineam: profectò teste *Arsdekin* (*T. 2. P. 2. Tr. 1. princ. 17.*) centum sexaginta, teste Sarasa (*in arte gaud. Tr. 4. sub fin.*) centum octuaginta novem, teste Terillo (*de con. Q. 22.*) ducenti plerumque à se inspecti (quibus Gobat *in Ctyp. N. 5.*) viginti quinque alios addit à Terillo non visos ex omni statu, conditione, Religioso Ordine Viri, summâ doctrinâ & virtute conspicui, inter quos Summus Pontifex unus, Cardinales sex, Archi-Episcopi 4. Episcopi 11. Doctores

ctores in celeberrimis Universitatibns plurimi, qui aut inter duas probabiles alterutram, aut probabilem relicta probabiliori sequi licitum esse typis publicis evulgârunt; & hos Historiopgraphus *doctrinam in æternam animorum perniciem* invexisse, hos *portenta, quæ nec Ethnici solo rationis lumine de honestate dissentes ferant* (*Tom. 5. Disp. Eth. 2. c. 10. N. 18.*) audeat tam protervè calumniari? Fateor equidem & mihi plures præ uno clypeos non defore, quibus vanas illius sinè viribus iras malè obtusis sagittis oneratas retunderem, nisi me modestiæ cumprimis religiosæ studiosiorem, & à conviciandi libidine magìs alienum exhibere in animo haberem constitutum.

§. XLVII. Hoc nihilominus mihi dicere licitum erit, ut ipsus Pisanum à calumniæ labe vindicem, hoc mihi dicere licitum erit: Eundem magnâ sententiæ nostræ, prout à melioribus probabilismi Patronis docetur, ignorantiâ laborâsse, & nisi id ferat: dicam Eundem præpostero sensu, multisque figmentis ad conciliandam sibi fidem interjectis eandem retulisse; alterutrum horum veritati consonare breviter sequentibus declaro: Imo dicit nos sentire, *ut opinio quædam probabilis sit, nihil aliud requiri, nisi ut ab aliquo Authore tradita sit - qui tenuissima ratione, vel conjectura, imo nomine solùm vel authoritate sua opinionem illam probabilem, tutámque reddiderit* (*Tom. 5. Eth.*

Disp. 2. c. 10. N. 19.) Respondeo: ignoravit Historiographus nos requirere, ut Author sit omni exceptione major, hoc est talis: *cuius opinio non sit contra principium aliquod certum, nec levi nec tenui nitatur fundamento, nec ipse aliàs varia improbabilia, aut Patrum Authoritate, aut Ecclesiæ definitione, aut cæterorum Theologorum sensu reprobata docuerit.* Ità Navar. Valent. Azor. Carden. Laymann. &c. Incassum igitur (*cit. Disp. N. 20. & 21*) scandalosas & plurimas à negantibus probabiliſmum doctas refert sententias. Ad hæc discat jam etiam Pisanus, quid sit Author omni exceptione maior, cùm id se (*cit. loc. N. 25.*) fateatur ignorare. 2dò arbitratur nos docere: *licitum esse illum opinandi modum eligere, qui tenui quacumque prababilitate fulciatur, tenuissimoque discrimine à sententia falsa, vel errore distinguatur* (*ibid. N. 18.*) Respondeo: ignoravit nos nihil ampliùs ac hoc negare, & pernegare tum ob damnatam ab Innocentio XI. Propos. 3. tum quòd *tenuis probabilitas habet motivum ità leve, ut imprudenter censeatur agere, qui illi assentitur;* ità Bardi, Soto, Sanch. Less. 3tiò putat nos tradere *opiniones à Theologis omnibus, Conciliis, Romano Pontifice damnatas, tutò tamen ac prudenter defendi posse.* (*ibid. N. 22.*) Respondeo: ignoravit nos *jurare in verba Conciliorum, Romanumque Pontificem etiam extra Concilium non modò in fidei materiis, sed &*

morum

morum regulam esse infallibilem, ità ut sententia ab illo reprobata, simpliciter reddatur improbabilis. Quod verò communem Theologorum sensum concernit, supra dixi in Resp. ad Imum *4tò*. asserit nos gloriari: *ut aliquid Patrum ætate, vel superioribus sæculis prohibitum, ac malum foret, quod nunc licitum sit* (*ibid. N. 23.*) Respondeo: ignoravit nos tueri eam duntaxat sententiam probabilem sequi licere, *quæ gravi nititur fundamento, neque Patribus, aut Conciliis, aut Pontificis declarationi adversatur;* & ità intelligendus est Gallego (*apud Moyam N. 11.*) cum inquit: *Angelicus Doctor multa scripsit, & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt, & tamen Eius opiniones, statim ac ab Ipso traditæ sunt, existimatæ fuerunt probabiles.*

§. XLVIII. Neque mihi oggerat Historiographus *responsa hæc à me data sibi incognita non fuisse*, cùm distinctè asserat (*Tom. 5. Disp. Eth, 2. c. 10. N. 25. reponere solent*, scilicet ut vocat Probabilistæ, *se non quamcunque opinionem probabilem veluti licitam, ac tutam proponere, sed illam solùm, quæ gravibus rationibus innitatur &c.* Næ enim ego ex illo percontor: si hæc non ignoravit, cur amabò plurimam citati sæpiùs capitis sui decimi partem *perditis doctrinis, quas damnamus & execramur*, ad fastidium usque replevit? an, ut hoc temerè agendo, occasionem nanciscere-

tur totum improperiorum centonem conſarcinandi? an ut ità pueris, hominibúsque de trivio exoſam & ſuſpectam reddèret Celeberrimorum Theologorum authoritatem? ſi non ignoravit? cur ergo eadem prorſus, licèt minùs fuſiùs, non tamen minùs protervè, recoquit *à num. 28. dicti capitis* usque ad finem? rurſus enim quærit: *quos Authores, atque Theologos eſſe putabimus? quos illi graves, prudentes æ religioſos appellant?* Reſpondeo: hoc numerô præcedente à me jam fuiſſe dictum. Urget: *quas rationes graves ab illis appellari cenſebimus?* Reſpondeo: *quæ non tantum in ſe, ſed etiam* comparativè *ad rationes partis oppoſitæ graves ſint, ſufficientesque, ut intellectum hominis docti & prudentis inclinent ad aſſenſum.* Criminatur. *In his authoribus nulla prudentia, vel moderatio deprehenditur, ſed maxima potiùs laxitas, humanæ, divinæque legis eludendæ ſtudium.* Reſpondeo: hoc tam vehemens eſt convicium, ut propria ſua temeritate ſe ipſum refellat: quod ſi enim *nulla in his prudentia, moderatio, ſi maxima laxitas &c.* quî fieri poteſt, *ut Probabiliſtæ citentur & allegentur ab Anti-Probabiliſtis* (quemadmodum viciſſim id fieri ſolet) *& ratione & authoritate pondus eorum ſententiis additurî*, quod nemo neſcit, niſi qui Moraliſtas non legit. Inſiſtit: *plurimæ opiniones quæ ab illis defenduntur, ſacris litteris, divino atque humano Juri manifeſtiſſimè repugnant*

(*ibid.*

(*ibid. N. 26.*) Reſpondeo; fingit Hiſtoriographus quòd vellet eſſe, ut iniquis ſuis criminationibus aliquem æquitatis titulum appingeret, & comminiſcitur pro effuſa libertate ſua, quidquid lubet. Clamat: *Licèt Scripturæ Authoritas evidentiſſima videatur, adhuc tamen opinionem illam probabilem defendunt* (*ibid. N. 27.*) Reſpondeo: impiè agit hoc, quisquis agit, & *piis doctiſque Probabiliſtis longè eſt alienus*, cùm doceant hi: *quodcunque Scripturæ, Conciliis, Pontificum deciſionibus, communi Theologorum ſenſui refragatur, numquam tanquam probabile amplecti licere.* Cæterà non diffiteor, nonnullos Probabiliſmi Patronos quasdam impias, ſcandaloſas, pernicioſas, damnatas, Scripturæ & Conciliis adverſas docuiſſe ſententias, ſed & has docuerunt Authores aliqui negantes Probabiliſmum, quemadmodum ergo non hi, ſecundùm ea, quæ erronea habent, ſunt imitandi, ità nec illi. Decidit tandem: *opinionem illam, quæ in ſe probabilis eſt, ubi cum altera magìs probabili confertur, veluti probabilem concipi non poſſe, ſed potiùs improbabilem fieri* (*ibid. N. 28.*) Reſpondeo *Imò.* opinio in ſe minùs tuta, ſi conferatur cum magìs tuta, non fit intuta, ergo etiam opinio in ſe probabilis, ſi conferatur cum probabiliori non fit improbabilis. *Antecedens* utique non negabit, cùm doceat (*cit. loc. N. 30.*) *licitum eſſe ſequi* minùs tutam præ tutiori, cùm tamen ſententiam intutam ſequi non liceat; quoad *Conſeq.* peto

disparitatem. *2dò.* Maior certitudo non elidit certitudinem minorem, sic certitudo fidei, quæ summa est, non tollit certitudinem scientiæ. *Antecedens* apud omnes sanos Philosophos & Theologos est in confesso. *Conseq.* format justam paritatem. *3tiò* suppono probabiliorem esse sententiam docentem, B. V. Mariæ Conceptionem Immaculatam, quô positô, quæro: an sententia negans immaculatam Conceptionem maneat adhuc probabilis? an verò fiat improbabilis relatè ad sententiam affirmativam? quid reponit ad hoc Pisanus? si dicit, ùt omnino dicere debet, *sententiam negantem Immaculatam Conceptionem manere* adhuc *probabilem*, infero: ergo falsum est opinionem probabilem collatam cum probabiliori fieri improbabilem; si verò dicat *sententiam hanc negativam relatè ad probabiliorem affirmativam fieri improbabilem*, hem Illum iniurioſissimum! qui audeat uni Antiquissimo, Sacerrimo, & Doctissimo in Ecclesia Ordini temeritatis labem adspergere, quòd in materia adeò Sacra sententiam improbabilem sequatur. Fusiorem me ac primitus intendebam, fuisse non succensebit amicus Lector, si dispexerit iniquum Adversarium nostrum plures paginas absurdissimis improperiis impendisse, quàm ego iisdem retundendis conscripserim lineas; abrumpo proinde calamum! geminum tamen adhuc pro coronide statuo: unum pro dignitate sententiæ nostræ, cùm dico *eandem nihil-*

omnino

omnino ab Hiſtoriographo eſſe convulſam, ùt nemo non vel in ſolo obvio, paſſimque noto *Patre La Croix* L. 1. c. 2. reperiet luculenter; alterum pro Piſani documento: nè *blaſphemet, quod ignorat.*

§. LI. Actionibus humanis ex pœnæ metu poſitis *rationem honeſtatis & virtutis* negat Compilator (Phil. Mor. §. 656.) atque ità ſtatuit: *quoniam metu ſervili ductus voluntati Numinis conformia agit ob metum pœnæ, à vera virtute eſt adhuc alienus.* Quod quidem ùt veræ fidei repugnat, ità neque rectæ congruit Philoſophiæ: veræ fidei repugnat ob damnatam ab Alexandro VIII. prop. 15. *attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſinè dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus ac ſupernaturalis.* Item à Clemente XI. in Bull. Unig. prop. 62. *qui à malo non obſtinet niſi timore pœnæ, illud committit in corde ſuo, & jam eſt reus coram* Deo. A recta verò Philoſophia diſcrepat: quia agere ex motivo, quod ſupremus Legislator proponit, virtuoſum eſt, & per ſe honeſtum, ſed qui pœnæ metu actum aliquem aut ponit, aut omittit, agit ex motivo, quod propoſuit ſupremus Legislator, ergo. *Maior* eſt certa, cum à ſupremo Legislatore non poſſit actionibus noſtris proponi motivum, niſi honeſtum. *Minorem* fatetur ipſus Compilator: *pœna dicitur malum,*

quod

quod cum actione connectit legislator tanquam Motivum eam omittendi, vel committendi (*Phil. pr. Un. §. 39.*) sed motivum quod connectit Legislator est motivum ab eo propositum, ergo. *2dò.* Idem (*ibidem §. 35.*) inquit: *enimverò omnium hominum fata, sive prospera fuerint, sive adversa, posse motivorum vicem subire haud ægrè admittendum:* sed prospera & adversa fata, sunt motiva à supremo Legislatore proposita, *Deus enim motiva ista* (*ibidem §. 34.*) *cum actionibus humanis connectens homines ad eas omittendas, vel committendas obligat. 3tiò.* Idem docet (*Phil. Mor. §. 349.*) *utendum est metu servili, quamdiu filiali nondum potest esse locus,* sed motivô non honestô, & illicito nunquam uti licet, ergo metus servilis, est motivum honestum & virtuosum &c.

Sphalmata.		*Lege.*
In tit. *lin.* 14.	Phiſophiæ -	Philoſophiæ.
pag. 2. *lin.* 12.	ex - - -	ea.
pag. 3. *lin.* 6.	quique	qui quæ.
lin. 23.	novi - -	navi.
pag. 10. *lin.* 16.	ut - -	ſit.
pag. 12. *lin.* 8.	Iam - -	Tam.
pag. 13. *lin.* 15.	alliis - -	aliis.
pag. 15. *lin.* 5.	velut - -	vetus.
pag. 25. *lin.* 15.	poſtputaveris	poſtputareris.
pag. 27 *lin.* 4.	poteras -	poterat.
pag. 28. *lin.* 16.	respoſco -	poſco.
lin. 19.	illo - -	illi.
lin. 29.	Rex - -	Res.
pag. 30. *lin.* 9.	ſequipedalia	ſeſquipedalia.
pag 33. *lin.* 10.	cohibuere	cohibere.
pag. 35. *lin.* 28.	notiæ -	notæ.
pag. 36. *lin.* 3.	jocusque -	ludus jocusque.
lin. 21.	voluntarios	involuntarios.

pag. 43. *lin.* 25. *ſic legend.* Quomodo autem rurſum te placabimus? huc igitur meli mela, huc mulſi.

pag. 44. *lin.* 1.	*tiæ* - - -	*tiæ mediæ.*
pag. 45. *lin.* 29.	oſtendat -	offendat.
pag 51. *lin.* 5.	ordo - -	credo.
pag. 54 *lin.* 28.	digna ſunt	digna hæc ſunt.
pag. 56 *lin.* 17.	& illuſtrari	illuſtrari &.
pag. 57. *lin.* 25.	vere - -	vero.
pag. 58. *lin.* 17.	Nulti - -	Multi.

pag. 63. *lin.* 31.	at	-	ac.
pag. 65. *lin.* 12.	uti	-	ubi.
pag. 66. *lin.* 14.	cam	-	eum.
pag. 67, *lin.* 8.	*in humana*	-	*inhumana.*
pag. 69 *lin.* 15.	bonum	-	bona.
pag. 75. *lin.* 29.	externa	-	externus.
pag. 76. *lin.* 6.	in	-	æquà in.
pag. 80. *lin.* 3.	alius	-	illius.
pag. 85. *lin.* 5.	alias	-	alius.
lin. 12.	ira	-	ita.
pag. 88. *lin.* 19.	dum	-	dem
pag. 92. *lin.* 28.	Ad	-	At.
pag. 95. *lin.* 29.	Jam	-	Tam.
pag. 101. *lin.* 11.	utrumque		utcumque.
pag. 102. *lin.* 13.	rerum	-	reum.
pag. 103. *lin.* 22.	dicat	-	dicas.
pag. 104. *lin.* 16.	abjicis	-	objicis.
pag. 105. *lin.* 20.	Euclides	-	Euclidis.
pag. 107. *lin.* 5.	&	-	es.
pag. 108. *lin.* 3.	quia	-	quis.
pag. 112. *lin.* 27.	ſui	-	ſus.
pag. 114. *lin.* 24.	libere	-	liberæ.
pag. 117. *lin.* 12.	ſententia		ſententiæ.
lin. 26.	enatat	-	enatas.
pag. 119. *lin.* 21.	quoepiam		quempiam.
pag. 120. *lin.* 19.	eximio	-	eximiæ.
pag. 122. *lin.* 24.	alias	-	alios.
pag. 123. *lin.* 2.	R	- -	SS.
pag. 126. *lin.* 29.	quæ	-	qua.

pag. 126. *lin.* 30.	te	- -	de.
pag. 127. *lin.* 1.	opionum	-	opinionum.
pag. 127. *lin.* 12.	&	- -	es.
pag. 128. *lin. ult.*	ingeniis	-	ingenii.
pag. 130. *lin.* 9.	His	- -	Hic.
lin. 11.	illius	-	illis.
pag. 134. *lin.* 7.	ſimul	-	ſimus.
pag. 137. *lin.* 13.	mudo	-	modo.
pag. 138. *lin.* 22.	Meriones		Mercorus.
pag. 142. *lin.* 8.	abſtines	-	obſtines.
pag. 143. *lin.* 12.	hinc	-	ſine.
lin. 15.	hinc	-	quanta hinc.
lin. 27.	quod	-	ne quod.
p. 148. *lin.* 24.	*non Sacramentalem*		*Sacramentalem.*
pag. 150. *lin.* 5.	occurruris		occurrunt.
lin. 8.	in	- -	inter.
pag. 154. *lin.* 28.	caverit	-	cavent.
pag. 163. *lin.* 7.	veri	- -	viri.
pag. 164. *lin.* 8.	Apologiſta		Apologiſtæ.
lin. 20.	maritoque		meritoque.
lin. 29.	æqua	-	a qua.
pag. 167. *lin.* 6.	in caſu	-	cum in caſu.
pag. 168. *lin.* 8.	ab	- -	ad.
pag. 179. *lin.* 26.	his	- -	ſic.
pag. 183. *lin.* 23.	*arctum*	-	*arctam.*
pag. 188. *lin.* 9.	affirmat	-	affirmas.
pag. 191. *lin.* 11.	contineant		contineat.
pag. 192. *lin.* 4.	*Oxonienſi*	-	*Oxomenſi.*
Pag. 196. *lin.* 20.	Bardinale		Cardinale.

pag. 213. *lin.* 13.	præmio	-	procœmio.
pag. 223. *lin.* 1.	R.	- -	SS.
pag. 225. *lin.* 29.	ut	- -	id.
pag. 227. *lin.* 16.	*cohibetur*	-	*cohiberetur.*
pag. 233. *lin.* 1.	enim	-	etiam.
pag. 236. *lin* 30.	quare	- -	quæ.
pag. 247. *lin.* 3.	*illicitum*	-	*licitum.*
pag 249. *lin.* 8.	*Quis*	- -	*Pius.*
pag. 254. *lin.* 9.	possit	- -	possis.
pag. 267. *lin.* 11.	respectos	-	respectus.
pag. 270. *lin.* 17.	palpita	-	pulpita.
pag. 271. *lin.* 5.	*probabiliter*	-	*probabilior.*
lin. 15.	*probabilem*	-	*improbabilem.*
lin. 18.	*tuta*	- -	*tutæ.*
pag. 272. *lin.* 16.	infringendo		infringendæ.
pag. 279. *lin.* 30.	Fáter	- -	Pater.
pag. 280. *lin.* 19. & 20.	Quod		quot.
pag 282. *lin.* 5.	promulgata		promulgatæ.
pag. 286. *lin.* 7.	eam	-	eum.
pag. 288. *lin.* 3.	*eadem*	- -	*eamdem.*

Multo plura librarii oscitantia admisit, qua si omnia recensere lubuisset, aliquot adhuc implendæ fuissent paginæ. Ita fit, cum alienis oculis in corrigendis typis, auctores uti coguntur. His proinde non auctori, lector succenseat, quidquid præterea peccatum est hac in parte.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Vindiciae Pro P. Eduardo Corsino Clerico Regulari Sholarum Piarum in Pisana Academia Philosophiæ Professore adversus P. Francisc. Hoffmannum e Societate Iesu AA. LL. & Philosophiæ Doctorem, nec non Ethices & Historiarum nuper, tum etiam Theologiæ Moralis in Universitate Pragensi Professorem adornatæ occasione libelli, cui titulus Fundamentum universæ

Coloniæ 1751

Ph.pr. 1231
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10042152-1
VD18 12127647